DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

SEDATIVO ARCHEI,

QUAM
SUB AUSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI FRIDERICI
HASSIÆ LANDGRAVII, &c. &c.
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN
PERANTIQUA UNIVERSITATE MARBURGENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA HONORIBUS
ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE OBTINENDIS,
PUBLICO ET SOLENNI
MAGNIFICORUM ET EXCELLENTISSIMORUM
DNN. PROFESSORUM
EXAMINI
AD D. XI. DECEMBRIS A. R. S. MDCCXXXII.
SUBMITTIT

JOH. CHRISTIANUS CARL, *Med. Hachenb.*

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MüLLERI, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIONIS MEDICÆ INAUGURALIS
DE

SEDATIVO ARCHEI

ARGUMENTUM.

Exordium. §. 1. Paucis remediis est opus pro sanitatis restitutione. 2. Uti paucis nutrimentis opus est pro sanitatis conservatione. 3. Multitudo in utroque genere est pœna amans, & amor puniens. 4. Sufficientiam vero paucitatis edocet paupertas. 5. Inde divites magis ad pauperum subsidia confugiunt. 6. Et sic materiæ medicæ selectus prodiit. 7. Exemplum hujus conaminis salutare, ubi aliena theoretica sunt separata. 8. Sic etiam pharmacia in compendium utile est redacta. 9. An talis paucitas in unitatem τȣ̃ universalis deduci valeat. 10. Vel in binarium statum universaliter evacuantis, & alterantis. 11. Vel in agentis sedativum ac confortativum.

PROPOSITIO.

De Sedativo Archei.

TRACTATIO.

Pars generalis de fundamentis sedativi archealis Theoretico-practicis.

§. 1. Differentia organismi à mechanismo hoc scopo necessaria est. 2. Anima enim indiget in sui spiritualem usum corpore & actu organico. 3. Hoc à corruptione con- & præservare debet. 4. Pro intellectus ac voluntatis executione. 5. Uterque actus indiget ministerio organico sensatoriorum & sensationum. Indiget etiam hic actus locali motu. 7. Hujus totius actus causa efficiens, materialis, instrumentalis. 8. Inde structuræ. 9. Ac mixtionis tuitio. 10. Per circularem progressum sanguinis. 11. Actus hic conservatorius est organicus. 12. Morbidus in sanitate. 13. Sanus in morbo. 14. Ordinatus ut plurimum, & æqualis. 15. Confusus ob inter-

nam

nam, & externam turbam. 16. Idque vel nimium vel parcius agendo. 17. Quorsum ministerium tendit, αυτοκρατειαν ad æqualitatem deducendo. 18. Quod æquilibrium semper fere est securissimæ indicationis. 19. Temperatio magis necessaria est ob præcipitantiæ habitum innatum. 20. Si accedat Cholericus status. 21. Et similes mores ascititii. 22. Natura etiam ætatis junioris. 23. Valetudinaria etiam dispositio. 24. Externæ nimietatis causæ, *a*) plethora, *b*) orgastica qualitas. *c*) miasmatica agilitas. *d*) labes viscerum in mixtione ac textura inexpugnabilis. 25. Fundamentum inde pendet sedativi in genere. *α*) Animi placidus status à priori. *β*) œconomiæ vitalis in mixtione ac structura ordo ac æquilibrium. *γ*) ministerium appropriatum, *δ*) indicata generalia, 1. Aqua, 2. aquositas salina, 3. Antispasmodica.

PARS SPECIALIS

De Sedativi documentis & experimentis.

Cap. I. In anomaliis pulsus, seu motibus febrilibus. §. 1. In his actibus natura nimium agere potest, & actu agit. 2. In acutis ubi sedativum indicetur. 3. In intermittentibus. 4. hecticis.

Cap. II. De Sedativis in anomaliis toni. §. 1. Quid in hoc autocratiæ genere sit nimietas, & ubi. 9. in hæmorrhagiis in genere. *a*) in specie narium & ani, *b*) pectoris, *c*) renum, *d*) uteri, *e*) vulnerum, *f*) artificialium. 2. In motibus humorum spasmodicis, maxime doloribus.

Cap. III. De cautelis practicis generalibus circa sedativum archei. §. 1. Actio & passio in actu morbido probe discernenda. 2.) Ministerium medicum se magis ad materiæ alterationem dirigat. 3. Gradualis magis temperatio observanda, 4. Secundum naturæ vergentiam. 5. Ne ordinaria excretio lædatur. 6. In pharmacis gradus sedationis tenendus. 7. Correctio sedativi con- & subjungenda. 8. Hujus fundamenta. 9. Experimenta. 10. Methodus tamen sedationis præstat præ pharmaco. 11. Utrumque tamen ordini naturæ sit conveniens. 12. Quid de panaceis. 13. & de dosi sedativorum restat consilii.

EXOR-

EXORDIUM.

§. I. Quæſtio in therapia generali & ſpeciali, dogmatica, & clinica, ſollicitam enodationem, & applicationem requirens, eſt, num ad curam morborum multis vel paucis medicamentis opus ſit. Scinditur medentium cohors in varias partes, ut una mox in hanc, altera in aliam ac plane diverſam partem nimium dilabi videatur. Notum enim eſt, quorſum devenerint medicinæ hermeticæ cultores, ut univerſali ac panaceali armatura omnes, etiam graviſſimos, at aliis ſubſidiis incurabiles morbos debellari poſſe glorientur. Alii vero dogmaticæ ac empiricæ medicinæ amatores ad tot morborum & cauſarum varietates tot etiam fontium pharmaceuticorum rivulos delibandos eſſe, ac hauriendos in ſuis therapiæ ac materiæ medicæ promptuariis demonſtrant. Quod ſi itaque mediam virtutis ac veritatis viam inquirere, invenire, ac ei utiliter inſiſtere velimus: deprehendemus in prudenti obſervatione, quantum curæ opus ſit, ne vel ad dextram vel ad ſiniſtram nimium deflectamur ac aberremus.

§. 2. Et ſane ſi experientiam ſeduli colamus, imo attentam rationem ſimul in ſubſidium vocemus: non difficile fuerit, manibus palpare, quod ſicut in ſcibili medico aliena & inutilia ſeparando paucum ſed optimum remanere cognoſcatur, ita etiam in illis inſtrumentis, materiis medicis, quibus intentio artis, & miniſterium naturæ in effectum deduci poſſit ac debeat, vaſtiſſimus campus ac regni triplicati immenſitas in inſignem paucitatem neceſſitatis, ac utilitatis inevitabilis redigi valeat. Eadem ratio hic applicari poteſt, quæ in farragine nutrimentorum. Prout enim alimenta neceſſaria in cibo ac potu multifario, imo innumero per totum terrarum orbem colligenda luxuria potius humana, non vero naturæ ordo invenit ac produxit, divina vero indulgentia iis, quibus inviſibilia, cœleſtia, æterna diſplicent, conceſſit, ut ex inexhauſto promptuario bonitatum aliquas ſaltim, licet caducas, dotes ſuſcipiant: ſic in nutrimentis ægri corporis neceſſitas non in multitudine omnium

A 2 regno

regnorum terræ ac mundi expiscanda venit, ut remedium morbi inveniamus, sed latet ipsum tum in œconomia vitali ipsa, scilicet in naturæ autocratico actu ac virtute à summo creatore inditatum, quantum subsidii materialis pharmaceutici cuivis opus esse videtur, ægrotanti ac medenti in sapientissima ac utilissima simplicitate ad manus, pedesque positum esse deprehenditur.

§. 3. Quæ cum ita sint, experientia & ratio firmum talum adferunt sententiæ illi, quæ paucitatem nutrimentorum, & medicamentorum adstruit, & abundantiam utriusque ærarii divinæ quidem clementiæ, abusum vero humanæ dementiæ tribuit, ut itaque undique bonitas cœli justificetur, quæ hominem ex beata unitate in turbulentam sensuum varietatem delapsum, multis terrarum salubrium oneribus obruere laboravit. Sic necesse est, ut qui folia arboris vitæ in æternam conservationem degustare detrectavit, imo innumeris paradisi fructibus non fuit contentus, ex dispersis interni mundani regni corporibus ac fragmentis salutaribus quærat ae inveniat opem in vitæ temporalis levem ac brevem custodiam.

§. 4. Non opus est, ut vel in Philosophiam, vel Theologiam descendamus, in infinitarum artium medicarum ac diæteticarum necessitatem ac utilitatem destruendam, edocet plebs ipsa è quotidiana ac indestructibili experientia, quod homo pane & aqua etiam in diversitate climatum, ætatum, temperamentorum, laborum, conditionum, morborum &c. ad diuturnam usque moram sanitatis integritatem conservare possit, quodve labefactata sanitas sola medicina interna sub requie ac abstinentia, imo vilissimis, & parcissimis, ob oculos versantibus, ante pedes jacentibus, medicamentis restitui valeat. Edocet ac confirmat insuper sapientissima ac certissima experientia vulgi, imo plebs paupertatis suæ encomia frugalia ita novit perorare, ut sanitatis conservandæ ac restituendæ frugalem suppellectilem, in paupertatis promptuario reperiundam, ditiorum inopi ubertati præferant.

§. 5. Ne vero in indagine physico-medica Rhetorem me agere quis judicare valeat, in medium produco unicam observationem,

quæ

quæ indies occurrit attento oculo mentique illius, qui aulas, & caulas Magnatum & pauperum peragrare ac perlustrare sortem adeptus est. Nonne Magnates inter myriades epularum ac deliciarum fastidii delectu titubant, & saltim veluti canes de Nilo lambunt gustantque cortices: quotiescunque vero ex populari culina fercula simplicissima adportantur, panis veluti carbonarius, pisa, lentes, brassica, haleces &c. nonne veluti vultures in rapinam esculi lautissimi irrumpunt, plenoque ore arripiunt? Ex mensa culinaque Magnatum si transeas ad ægrotantium lectulos ipsos, & innumeros numeros consiliorum ac subsidiorum medicorum, pharmaceuticorum, alchymicorum perpendas, nonne obveniet mira illa animadversio, quod in statu necessitatis periculi tota hæc cohors despiciatur, rejiciatur, illique vel aniculæ auxilium præferatur, vel omnium arcanorum fastidio lucta morbi naturæ beneficio relinquatur?

§. 6. Quamobrem naturæ scrutatores solertiores his, & superioribus temporibus semper eo animi nervum impendere allaborarunt, ut ex materiæ medicæ farragine selectam necessitatem, utilitatem, simplicitatem consequerentur, sicque omnis loci, generis, formæ abundantiam in hanc utilem parcitatem concentrarent. Veritas hujus dogmatis experimentalis in schola medica ita est corroborata, ut v. g. c. D. Ludovico pharmacias crudiores, & chymiatrias artificiores in angustos cancellos contrahere pergant, nec in culinas Mynsichtianas, Zvvölferianas, Schröderianas, similesque reverti, ac reducere cordi habeant, quinimo ex selectis mercaturis, hermeticis etiam; novos cortices decutere, & verum nucleum eruere summæ necessitatis esse profiteantur.

§. 7. Celeberrimus STAHLIUS, quemadmodum ab omnibus, qui rei medicæ, quoad theoriæ ac praxeos in concussum fundamentum ac nexum gnari, ac æqui æstimatores sunt, me quidem judice gloriam reportavit medicinæ talis enucleatæ restauratoris, ita etiam materiæ medicæ, imo pharmaciæ, ac chemiæ verus enucleator dici meretur, dum quicquid ejus experientia vel selectum vel

 repu-

repudiatum reperiatur, hoc etiam in aliorum experientia sartum tectumque deprehendetur. Contumelia improbi lacesserunt hunc tantum virum, quem totus orbis medicus vere doctum, omnibusque divitiis, quæ ad scientiæ artisque medicæ universam culturam atque ornatum facere possunt, uberrime repletum, merito veneratur quando sub primordiis suis medicinæ adhibendæ tanto animi argumentorum verborumque acumine contra aliena physica, anatomica, mathematica à medica theoria removenda pugnavit, ac si moderni ævi inventa, quæ ut fulcra medicinæ mechanica putabantur, subruere, & ita medicinam in mathematicam demonstrationem mox transituram, denuo in antiquas empirias & occultas qualitates reducere niteretur, cum tamen nuspiam in medicis ac physicis demonstrationibus ejusmodi evidentiæ dogmata mentibus ac manibus oblata sint. Ejusdem, inquam, censuræ iniquæ specimen undique prodiit, quando hic Vir acutiore, quam Ludovici usus est, falce aliena practica; maxime promissa sesquipedalia materiæ medicæ, & inprimis arcanorum chymicorum, alchymicorum, resecuit, ejecit, ac pauciora probatioraque retinuit. Profecto non solum clandestini convitiorum susurri inde prodiere, quam vanus sit scholæ STAHLIANÆ conatus, pulvere ac pilulis morbos omnes oppugnandi, sed etiam seni isti dimidium seculum in praxi solidiore emenso, defectus alicujus nota atro carbone inducitur sustulit hos scrupulos denuo prudente informatione non ita pridem, quæ commercio medico Norimbergensi inserta est, ut tum nasutioris mentis, tum emunctæ naris homines invenerint copiam remediorum in parcitate, necessitatem ac utilitatem in selectu, certitudinem in dextra administratione, veritatem in ductu ministerii vergentiæ naturæ subordinato.

§. 8. Quisquis itaque vel hanc extremam gravis senis firmamque demonstrationem ac institutionem, quæ materiam medicam ad tam insignem paucitatem deducit, æquo judicii lance ponderare desiderat, propriamque experientiam associare: is intelliget quam clarissime, ubertatem materiæ medicæ longe frequentius in

impe-

impedimentum ac detrimentum certitudinis theoreticæ ac practicæ cessisse, parcitatem, selectum, constantiam medicamentorum usus fructus maturos utrique medicinæ generi attulisse. Et sane veritas hæc ita utrinque est roborata, ut vel pueri hodie, inprimis Medicinæ ac Pharmaciæ vestibulis constituti, eam incertam ac hallucinantem praxin pronuncient, quæ farragini medicamentorum, formularum, arcanorum superstruatur. Præterea discentes docent, abundantiam materiarum, multitudinem numericam gradualem in quovis genere ac classe offerre pro selectu libero ac sapiente, tanto certius ac utilius inde capessendo.

§. 9. Quod si itaque in usu materiæ medicæ multum non multa, imo sæpe unum necessarium, ut ita loquar, seligere necesse sit: tum alia insuper quæstio exsurgit in methodi medendi generali habitu, maxime in indagine indicati an non selectus talis in angustiores cancellos non solum quoad numerum specierum, sed etiam generum ac classium deduci ac concludi possit. Hermeticæ philosophiæ ac medicinæ addicti cultores omnia subsidia ac rivulos fontium therapeuticorum in simplicem unitatem panaceæ universalis reducunt, quippe quæ, ut cœlestis astralis prosapiæ, homogeneam puritatem, & efficaciam possideat, archeum vitalem, utpote similis naturæ, erigendi, roborandi, quo omnibus influentiis tenebrarum morbidis resistere, & ita œconomiam vitalem ab omni malo liberare ac tueri valeat. Fistula dulce canit, sed avicula Hermetis, undique venalis, undique in nemoribus quæsita, hanc cantilenam decantare nondum valuit, ut ægroti, sani vero mente, certiorem fiduciam, quam sani ægrotantes mente roborare valuerint. Quod si vero talis panacea vera ac indubia in hujus vel illius artificis manus devenire sorte quadam obtigerit: Tamen raritas ac parcitas hujus materiæ medicæ ita magna est, ut multitudini morborum ac medentium non possit in subsidium cedere, & illi inde aliis certioribus & largioribus frustrari.

§. 10. Prodit itaque inter eos, qui à vulgaribus fontium therapeuticorum ordinibus recedunt, ex numero unitatis duplicatur

status

ſtatus, ut epitomatores tales univerſale purgans, & alterans inveniri, & adhiberi poſſe, & omnibus indicationibus morborum ſupplendis ſufficere exiſtiment. Chymiatriæ fons hunc duplicem rivulum promptius reſpondet ac dimittit, quam priorem unitatis univerſalis profluxum. Unde, quot artifices prodeunt, tot etiam univerſalia purgantia, & alterantia dimanant. Effectus vero ac uſus conſtantes nuſpiam promiſſis ſtare querela communis evaſit. Quamobrem methodus dogmatica therapiæ rationalis, ac experimentalis à ſuis certioribus fontibus deflecti non patitur.

§. 11. Sunt & alii inter epitomatores tales ſecretiores materiæ medicæ, qui arbitrantur evacuationem, & alterationem materialem aptius, naturæ autocraticæ actui relinquendam, quæ tempus, modum, locum, ordinem melius ſentiat ac adhibeat, quam miniſterii medici manus invenire queat. Unde ſolum ad agentis ordinem & gradum in activitate reſpiciendum eſſe judicant, ut vel actus nimietas erronea temperetur, ſopiatur, ad ordinarium ſtatum reducatur, vel defectus, ſuppreſſio, cohibitio impediatur, imo in priorem ſtatum actionis ac virtutis vitalis æqualem revertatur. Exinde prodit binarius numerus indicatorum univerſalium, ſcilicet ſedativi ac confortativi archei.

Cum vero hujus duplicis medicationis exiſtentia, ac uſus in therapiæ ordine univerſali ſublimiore ac communione locum merito inveniat: non incongruum fore exiſtimo, ſi unum ejusdem latus jam conſiderandum mihi proponam; quomodo nempe dextra ejus inventio, & applicatio in fundamentali habitu medicinæ rationalis ſedem certum reperiat.

§. 12. Adſumam itaque conſiderationem Sedativi Archei, ſcilicet veræ indicationis, & indicati pro æquilibrio motuum vitalium morbidorum reſtituendo ac conſervando. Neceſſe erit inquiſitio fundamenti generalis, cui hoc medicationis genus certe ac ſecure, neceſſario ac utiliter, ſuperſtrui poterit. Subjungetur documentorum ac experimentorum ſpecialis ſubordinatio, quænam ſub-& objecta univerſalem vel particularem archei ſedativum exigant.

Ac-

Accedent quædam cautelæ ac obſervationes generales circa hanc claſſem ac ordinem indicationis, & indicatorum. Ita methodus, ordo, uſus legitimus hujus medicationis certitudinem ac ſecuritatem ſtabilire ac confirmare valebit. Faxit divina bonitas, ut hæc contemplatio fructus adportet maturos!

TRACTATIONIS PARS GENERALIS DE FUNDAMENTIS THEORETICO-PRACTICIS SEDATIVI ARCHEI.

§. 1. Differentia organiſmi & mechaniſmi in actu vitali, ſicut diverſitas mixti & vivi temperamenti ab iis temporibus, quibus confuſio ex diſciplinis mathematicis in œconomia vitali eſt introducta, multis argumentis, documentis & experimentis eſt adſerta, ut noſtro ævo ſuperfluum negotium eſſe videatur, ſi ulterius ad aliena ejusmodi è Medicina expurganda manum admovere velimus, maxime cum æterni niſus motuum vitali œconomiæ impreſſi, ſimilisque furfuris commenta, quibus automatici motus vitalis mechaniſmi hodie ſub alieno ſchemate colorari deprehenduntur, nullo alio fulcro innituntur, adeoque inprimis ob damnum quod exinde in conſiderationem, & applicationem veram rationalem ac experimentalem ſedativi archei reſultat, eandem diſcuſſionem merentur. Cum vero; uti jam verbo indigitatum, ejusmodi tranſumptiones mathematicæ, in applicationem phyſicam interioris mixtionis non ſolum, ſed etiam in vivi corporis conſideratione, ubi liberi ac directi motus ad proportionem quidem organico-mechanicam inſtrumentorum, ſed tamen ex agentis ſcopo neceſſario inſtituti, atque pertractati actus conſervatorii occurrunt: Fieri non poteſt, quin confuſio mechaniſmi & organiſmi in theoria, & praxi hujus medicationis per ſedationem motus multas periculoſas pariat adplicationes. Quamobrem neceſ-

sitas efflagitat, ut paucis ordinem actus vitalis proponemus, & ita per se fluente applicatione, naturam, modum, tempus, locum sedativi archealis cognoscamus.

§. 2. In œconomia hominis vitali uti in tota natura humana, omnes qui cognitionem ac scientiam capere ac tradere studuerunt, ad duas substantiales partes oculos converterunt, scilicet visibilem & invisibilem, spiritualem & corporalem, ut ita ex vivi & mortui hominis consideratione utriusque essentialis partis natura, habitus, qualitas, tum in se ac solitario habitu, tum in statu unitionis, quomodo una pars in alterum influat, cognoscatur. Est itaque in homine spiritualis substantia invisibilis, uti materialis corporea visibilis. Quemadmodum vero prior pars per se subsistere potest, & suæ naturæ congruas operationes extra corpus adhucdum exercere: ita altera pars corporea suos mechanico-organicos actus ac usus amittit, imo temperamentum mixti ut vivi deserit, quam primum prior pars vinculum ac influxum deperdidit ac deseruit. Unde colligi potest, animam scilicet seu spiritualem partem non esse propter corpus, sed corpus esse propter animam. Cum vero animæ facultas centralis sit voluntas, vis scilicet appetendi, seligendi, & ad hujus virtutis executionem ministerialis facultas sit intellectus, ut objecta cognoscere, ac voluntati seligenda proponere possit anima ope hujus intellectualis facultatis: patet inde, animam pro duplicis facultatis, quæ spiritualis ac immaterialis actio existit, executione ministerio aliquo indigere seu instrumentalitate, semi, ut dicam, materiali & semi spirituali. Siquidem homo positus est inter objecta materialia crassa corporea totius creaturæ, ut eorundem naturam usumque pernoscat spirituali apprehensione, itaque scala quadam ad invisibilia occultiora pervestiganda ducatur. Ministerium ac medium inter τὸ recipiens animam volentem ac intelligentem, & inter objecta, τὸ corporeum, est sensus, quo ideam de objecto externo suscipit, & animæ tradit, & actum suum voluntatis ac intellectus exercet. Sensatio requirit organicam structuram in instrumento, & hæc materiam teneram, flexilem, tenacem, tum pro actionis teneritudine, tum pro ejusdem peren-

perennitate. Actio enim ultima animæ, scilicet ratiocinatio subtilitatem motus, & ejus diuturnitatem requirit, ut legitime ad finem optatum perducatur. Cum vera materia & forma, mixtio & structura, in œconomia sensationis eadem sit, quæ in actu vitalitatis: Quæritur an non hic posterior status priori in ministerium cedat ac inserviat. Quæritur præterea cum anima efficienter in actu rationationis influat, an non etiam in actum vitalitatis, qui est ministerium actus prioris? Stabit itaque sententia in simplici hac pensitatione firmo talo, actum vitalem universum cum singulis actibus intermediis, scilicet actum sanguinis, nutritionis, depurationis &c. instrui, dirigi, moveri ab anima, adeoque mechanicam instrumentalitatem esse organicum proportionatum medium in mixtione ac textura materiæ, ut finis ultimus tanto felicius obtineri queat.

§. 3. Præterea in ulteriore generali pensitatione œconomiæ vitalis patescet, materiam corporis quoad mixtionis primordialia principia requiri substantialitatem aqueam ob mobilitatem, terream ob firmitudinem, oleosam ob calidam combinationem. Ex hac materia triplicis elementi compages corporis est constructa. Terna hæc mixtionis principia ægerrime inter se cohærent: Maxime inter externa aeris, in quo degere debet pro operationum exercitio, damna, quæ calore, humiditate, frigore, siccitate &c. dissolutionem eis introducunt, ut mixtio destruatur ac in putredinem abeat, quæ mors est. Quamobrem mixtionis conservatio necessaria est, quæ fit motu vitali, seu sanguinis ita dicto circulo, non quidem quatenus sanguinea materia motu perpetuo intestino ac progressivo agitatur, sed quatenus consectarii actus necessarii ac utiles sub tali circuitu perpetrantur; scilicet partium impurarum separatio, nutritiarum appositio, ac restauratio, fluxilitatis conservatio, inquinamentorum in partibus porosis stagnantium abstersio &c.

§. 4. Brevissimis ut totum hoc negotium Archei organicum concludam ac exponam, extra dubium erit animæ actum centralem esse voluntatem, appetere bonum & rejicere malum, actum ministerialem esse intellectum, quo dijudicet objecta allata, & cum homo in-

tra objecta corporea constitutus sit, opus habere animam organis, & ministerio sensuum, & quidem diversorum pro diversitate cognoscendi, apprehendendi objecta externa.

§. 5. Sensoria talia non solum appropriatam materiam, sed etiam fini destinatam structuram deposcunt. Assumitur hæc ex aqua, terra & oleo. Ægre hæc elementa inter se cohærent. Dissolutio est putrefactio, seu mors. Inde structura ac materia organismi sensorii requirit materiam ab extra illatam & ejus conservationem in statu sano.

§6. Animæ actus sensatorius non solum requiritur per actus voluntatis & intellectus exercitio, sed insuper motus localis totius corporis; & artuum inprimis; ut voluntas conclusa in executionem deducatur; inde organismi totius motus localis in musculis ossibus &c. materia & structura legitima dependet.

§. 7. Materiæ & structuræ sensoriæ ac motoriæ ædificatio ac conservatio perpetratur ab anima efficienter, & ab actu vitali instrumentaliter; ex & per quem organismus ille in materia & forma absolvitur.

§. 8. Scilicet materia nutritionis ab externis alimentis per universum actum chylificationis extrahitur, depuratur, singulisque partibus exquisite in structuræ ac usus exigentiam apponitur & assimilatur.

§. 9. Ne materia hæc in impuritatem morbi- & mortiferam delabatur, anima per & in organismo viscerum peregrina fermenta seponit, tenuissimum serum in glandulis cutaneis, crassius in renibus, adhuc spissius, & oleosius in hepate, muciditatem tenaciorem in reliquis glandulis.

§. 10. Cum vero sanguis humor sit spissiusculus; indiget pro fluxilitatis puræ conservatione motu circulari, speciatim transpressione per partes porosas, spongiosas conquassatorio. Quo simul inquinamento in partibus solidis residua absterguntur, & ad colatoria deducuntur.

§. 11. Hic est animæ, seu principii agentis, actus vitalis, quem propter internum ratiocinationis actum, tanquam ultimum finem, ador-

adornat, regit, dirigit, movet. Et eſt hic actus conſervatorius corporis organicus, ſcilicet per convenientia organa ac media abſolvendus, non mechanicus, automatico bruto actu, ſine cognitione ac directione ſpiritualis agentis, decurrens.

§. 12. Eſt inſuper hic actus vitalis ſecundum naturam, vitam & ſanitatem conſervans, nil aliud, quam perpetuus actus morbidus, quo mortifera fermenta ab intus genita, & ab extus illata, proportionatis actibus, tempore, loco, modo, per efficientiam animæ è ſuo neceſſario organo & œconomia ejiciuntur & averruncantur.

§. 13. Et actus morbidus, ſcilicet totum ſyſtema turbatæ vitalitatis, nil aliud eſt, quam idem actus animæ ſecundum naturam, hic ſaltem ob cauſam urgentem, in p. n. ſeu extraordinario gradu intenſus ad proportionatum locum directus, appropriato modo ac tempore inſtitutus ac concluſus, commodis inſtrumentis ſuſceptus.

§. 14. Quando in hoc negotio, tum ſec: tum p. n. vitalitatis, ſanæ ac morbidæ operationis, anima nec materiæ ſaburra nec motus impeditione obruitur: tum actus uterque æqualiter placide, ordinare, conſtanter pro- & ſuccedit: idque vita popularis per innumera exempla ſanitatis conſervandæ, & morboſitatis diſpellendæ manifeſtum reddit.

§. 15. Cum vero ex lapſus in peccata humani inquinamentis non ſolum animæ actus internus finalis voluntarius & intellectualis in ſummam corruptionem ac confuſionem abierit, ut inde homo bona non appetat, mala non rejiciat, vera non intelligat, falſa non cognoſcat: Mirum duci non poterit, quod pariter anima in actu miniſtrante, vitalitatis ſcilicet negotio, in ſummam confuſionem ſit præcipitata, ut adæquatum modum, niſum, gradum, tempus, locum obſervare ac tenere nequeat. Taceo quod externa corruptionum fermenta tanta & tam varia exiſtant, quæ ſponte irruant, & æqualitatem actus ſanitatis confundant ac deſtruant.

§. 16. In hoc actu Archei vitam ac ſanitatem conſervatorio, & reſtauratorio, præcipue hoc ultimo obvenit duplex labes in principio agente, ut vel actus ſuos morbidos, in ſalut[illegible] [illegible]m quidem di-

rectos, in nimietatem, confusionem, præcipitantiam adigat, vel anxie, turbulenter, negligenter, languide, peragat.

§. 17. Cum itaque natura interna, morborum optima medicatrix, uti veteres hoc mysterium medicinæ internæ jam cognoverunt, hic primario in duplicem deviam delabatur: tum sane ministerium medicum merito sollicitum est factum, ut, vel erigendo, vel temperando, actum vitalem restauratorium, energiam animæ medicam in temperatam, æqualem, ordinatam, constantem, proportionatam semitam reducat, in eo conservet, itaque finalitatem vitalitatis custodiendæ assequatur.

§. 18. Merito vero disquisitio non tam contemplativa, quam practica applicativa hic subvenit, quodnam genus ex hoc duplici ministerio medico in experimentali medicina maxime necessarium evadat? Num plura exempla subveniant in praxi medica, in quibus natura magis excitari, roborari, confirmari debeat, num vero plures casus observentur atque occurrant, in quibus natura in turba vitali magis sopiri, sedari, temperari, corrigi, necesse habeat? Certe oculus manusque practica nec huic nec illi frequentiæ se se solum adplicat, sed attente in ordinatum æqualem statum microcosmum perpetuo deducere ac tueri nititur, uti macrocosmus in suis actibus sub ejusdem æquilibrii custodia legitimum cursum ac usum absolvit.

§. 19. Quodsi vero præcipitantiæ morbus præcipuus ac perpetuus sit animæ, peccato tenebris obrutæ, qua suos actus rationales, morales, civiles, spirituales toto die confundere ac deperdere deprehenditur: tum sane mirum nec hic duci potest, quod anima in illis actibus, in quibus saltim ministerio sensus tactus subtilioris fruitur, & contra sensuum reliquorum acutiorum, imo totius actus ratiocinaciationis auxilio destituitur, varia turbida consilia ac media ex hoc præcipitantiæ fundo capessat, imo capessere debeat ob mortifera elementa foris apertis undique irrumpentia.

§. 20. Ex hoc præcipitantiæ innato habitu anima in nimietatem, & turbam actus sui autocratici delabitur præcipue in temperamenti specialiore cholerici agilioris natura, quæ etiam in statu sano in acti-

bus

bus vitalibus omnia facile in nimium deducit. Tanto magis hoc fit, si instatum naturæ p. n. tota vitalitas devolvatur, in quo periculum repentinum animam, ad resistendum se se accingentem, tanto citius & facilius in motum furentem conjicere valet. Unde vel levissima impetus occasio externa facile ejusmodi temperamenta in motus æluctatorii excessum detrudere potest. Quotidiana plebis experientia ejusmodi exempla tanquam regulas practicas radicatas, producit quando in cholericis mobilioribus omnia evacuantia in mitiore gradu, specie, ac pondere, imo in attentiori modo; tempore, loco, adhibere suadet, quia facile in excessum operationis devolvantur. Asserunt suis loquendi formulis: **Es wäre eine so empfindliche Natur/ man dörffte nur ein Paar Pillen in den Sack stecken/ so kan es genug** purgiren. Item, **man dörffe kaum die Helffte eines Schweiß-Tränckleins geben/ so komme die gewaltigste Hitze/ steige bald Verwirrung auf/ breche alles zu solcher Hefftigkeit/ die nicht wieder zu stillen** &c. Imo in alterantibus ejusmodi sensibilitas talia cholerica temperamenta se se manifestant, ut vulgus etiam exinde vel tenerrimorum remediorum usum reformidet, cum facile peregrinorum motuum excessus inde sequatur. **Die Natur sey so empfindlich/ daß sie nicht eine Magen-Stärckung/ Stahl-Tinctur/ Bronnen-Cur/ Fieber-Lattwerge/ u. d. g. vertragen könne.**

§. 21. Eadem ratio & effectus observatur in ascititio animi mobilioris temperamento, moribus scilicet agilioribus, ac sensibilioribus. Ex hoc statu quævis objecta levissimi etiam momenti, perquam facile, uti in civilibus ac rationalibus actibus, sic etiam in vitalibus negotiis, præter necessitatem repentinam ac furibundam quasi motuum sanguinis exacerbationem provocare possunt, quæ multis animi ac sanguinis placationibus raro ac languide compescuntur. Nonne quotidiana observatio docet, quod talia subjecta, moribus animi fervidis ac austeris prædita vel à levi imaginaria nausea, vel verbulo, sono, visu, gustu peregrino ac inopinato in tantum animi & sanguinis incendium delabuntur, multo, imo omni ut

refri-

refrigerio medico ac morali non possint temperari. Quæ subjecti ratio ac consideratio in casibus medicis particularioribus sæpe intimius evolvi debet, & attentiore mente manuque medica tractari, quam causa morbi continens materialis, etiamsi malignissima videri possit.

§. 22. Est præterea adhuc aliud nimietatis præcipitantis fundamentum in natura animæ à priori ex fundamento ætatis, siquidem notum est, juniorem ætatem ad præcipitantiam magis esse proclivem ut omnes actiones celeri impetu adgrediatur, & quid furori tali resistit, vel non illico cedit, vel deserat vel perfringat. Eadem ratio est in vitalibus. Unde juniores impetus febriles, hæmorrhagicos, spasdicos, &c. longe ferocius adgrediuntur, quam objecti materialis, id est, causæ morbiferæ, gravitas exigit. Quæ ratio est, cur contagia maligna epidemica à junioribus facilius captentur, & periculosiores turbas concitent, quam in annosioribus. Inde pestis etiam omnibus temporibus majorem stragem inter juniores edidisse observationes docent, & quidem non tantum ob materiæ sanguineæ molliorem, & ad corruptoriam dissolutionem laxiorem mixtionis constitutionem, sed ex animæ trepidantis, æstuantis, inconstantis habitu. Hæc ratio est etiam præcipue notanda in impetu hæmorrhagico ac spasdico, dum hic furor in hac ætate tam facile ac frequenter in extremam exacerbationem citra proportionem causarum materialium continentium & antecedentium descendat. In annosioribus sæpe eadem causa subest, corporea dispositio jam magis est labefactata, quoad partes fluidas & solidas, & tamen motus tales morbidi placide decurrunt. Inde ejusmodi cantilenæ anicularum audiuntur: Die Alte gehe mit ihrem keuchenden Husten / hefftigen Blut-Flüssen / unter so vielen ansteckenden Seuchen frey herum / und ziehe sich noch lange / ehe der krachende Karren bricht / da die junge Leute als frische blühende Rosen so hefftige und schnelle Anfälle von Bluten / Brechen / Hitze u. d. g. bekommen / die bald zum Ende eylen. Est itaque fundamentum satis manifestum in nimietate motus morbidi ex habitu ætatis citra pro-

por-

portionem causæ materialis, ob quam etiam in consideratione consilii therapeutici in hac ætate semper magis generaliter ad sedationem ac temperationem motuum respici solet ac debet, quemadmodum in annosioribus ad confortationem naturæ medicam ac diæteticam animus dirigitur.

§. 23. Adponi huic considerationi potest alia mixta contemplatio, ex animi & corporis concurrente sensibilitate semi morbida valetudinaria, ut inde præmature impetus motuum, & eorum excessus citra proportiones physicas exsurgant; scilicet vulgus hanc teneritudinem depingit. Es wäre eine solche empfindliche Natur / daß eine Muck an der Wand / der geringste Geruch oder Geschmack in einem Essen / alles erregen / und in die hefftigste Verwirrung auftreiben könne / daher müsse man sich in allen Worten / Speisen / Artzeneyen so sehr in Acht nehmen / weil auch das Unschuldigste einen hefftigen Schaden zu bringen pflege. Hæc animadversio quanti momenti sit in medicina aulica, mulierum, hecticorum &c. experientia docebit, ut inde trepida, si non prudente manu quasvis vel levissimas motuum irritationes, imo & impeditiones excitare, & evitare debeamus. Facilius enim est movere quietum, quam quietare motum, quam regulam mechanicam tam sæpe multo damno ac terrore addiscere, & docere valebimus.

§. 24. Transeo ab immaterialibus quasi motuum occasionibus ad nimietatem, & irritamentis vehementioribus ad magis materiales causas & calcaria, é quibus saltim unum & alterum exemplum adponam, ut ex eorum habitu aliorum influxum ac habitum dignoscere valeamus.

a.) Plethoram diu toleratam, tandemque orgasmo aliquo in commotionem traductam, tantæ vehementiæ motuum febrilium, hæmorrhagicorum, spasdicorum &c. ortum ac causam evadere, & larga experientia roboratur, & omnis hypotheseos medicæ ratiocinatio hunc successum dilucidari, sub diversis quidem demonstrationibus, annititur. Cum vero pure mechanicum funda-

C men-

mentum motus tanti ab illo corpore & materia, quæ hactenus & motum liberiorem æqualem sufflaminavit, omnem conceptum eludat: necesse est, ut causam moralem impulsivam hic agnoscamus, quo scilicet agens vitale abundantiam æqualis actus vitalis impedimentum, tandem irritatione aliqua introducta, excessivo impetu adgrediatur, vel motu hæmorrhagico exonerandi vel motu febrili consumendi, vel motu spasmodico discutiendi.

b.) Prout vero in hoc casu materiali fundamentum abundantiæ jam cum orgastico stimulo est conjunctum, licet etiam simplex plethora per se se ejusmodi nimietatem motuum suscitare valet: ita tamen tanto magis subvenit talis excessus stimuli motivi eluctatorii in agens vitale, quando non tam quantitas in culpa est, sed qualitas oleosa, pinguis, biliosa turgefactoria. Hæc causa in mechanica theoria motuum morbosorum pro unica ac sola causa motuum à materia censetur, & sic alii motus simpliciter à materia efficienter, per fermentationem, effervescentiam, similemque physicum actum evenire censentur. Sed repugnat statum cujusvis motus, tempus, locus, gradus, aliæque immateriales circumstantiæ, ad quas motuum horum tenor dirigitur. Hic vero pro nostro scopo experimentaliter solum adserimus, quod orgastica-sulphurea sanguinis qualitas, impulsive ac moraliter multum faciat ad agens excitandum, & in furiosas motuum exacerbationes, ac pertinacias præcipitandum. In motibus hæmorrhagicis illud sæpissime ita in manus delabitur, ut neque ventilatio artificialis, neque temperatio refrigerans, nec cohibitio adstrictiva impetum exundantiæ restinquere valeat. Motus quasi, primitus necessarius & æqualis, sensim in æstum inexstinguibilem traductus est. Qui rerum status multos impulit ad iteratas missiones sanguinis easdemque largiores, non solum in climatibus calidioribus, sed etiam in frigidioribus celebrandas, ut ita contumax naturæ nisus excretorius satisfactoriam requiem adsequatur. Sic fervor materialis idem ex orgasmo in principium vitale devolutus in febribus benignioris naturæ impetus inflammatorios, deliros hecticos suscitat & relinquit. In motibus spasdicis facile est, ut à le-

viore

viore principio contracturæ, exarescentiæ, convulsiones subnascantur; certe non tam ex materiali habitu, quam quod in agente ipso fervor tandem pertinax ardensque sit accensus.

c.) Aliam causam ex habitu qualitatis sanguinis pro motuum eluctatoriorum excessu ac nimietate allegare jam placet ex fermento ac miasmate epidemico maligno, quod tenuissimæ atque agilissimæ substantiæ, penetrantissimæ vero ad putredinem efficaciæ, instar halitus sanguineæ ac humorum massæ se se implicavit, totamque massam in corruptionem celerem præcipitare minatur. Agens sensu vitali hoc periculum percipit, & terrore subito in confusos febrilis excussionis motus dejicitur, ut talis tantaque turba præmaturos æstus, deliria, convulsiones, appetitus viriumque prostrationes post se trahat, imo attrahat. Inde hic effectus etiam potissimum resultat, quod subjecta, junioris ætatis ac trepidioris animi, magis contagiosis morbis obnoxii existant, imo etiam per eos deleantur. Natura enim putredinoso fermento in œconomiam vitalem illato, tanto magis in anxio sui ac tremente habitu confunditur, ut nimios, inconstantes, ferventes eluctationum motus suscipiat.

d.) Similis causa nimietatis, quam exerit anima in motibus autocraticis, existit, quando malum ac periculum grave, auxiliis internis & externis haud subigendum, attamen tolerantia quieta ferendum, repetito ac impetuoso actu aggreditur, &, priusquam hoc malum aufferatur, tota œconomia vitalis destruitur. Hoc assertum ut eo clarius percipiatur ac demonstretur, unicum saltim exemplum loco omnium in medium proponam. Labes viscerum obstructoria, scirrhosa, ulcerosa, febrem hecticam comitem statim nanciscitur. In annosioribus ejusmodi visceris obduratoria labes diu gliscit, & sub levi valetudinario statu sine multis, non quidem sanitatis, sed vitæ turbis permanet. Imo in genere viscerum brutorum scirrhi, præsertim ovibus, ita frequentes sunt, ut pro hectica tabe pinguescentiam admittunt. In junioribus vero ætatibus, cholericisque temperamentis præcipiti impetu ejusmodi viscerum vel leves læsiones in hecticam consumptionem prolabuntur.

Non subest hic ratio materialis, sed certe moralis quia agens vitale in tali speciei, ætatis, complexionis habitu activæ impatientis indolis est, sicque omni opera obicem perfringere nititur, & cum ad effectum pertingere non valeat totam œconomiam vitalem motuum exacerbationibus depascit.

§. 25. Suffecerint, hæc pauca exempla generalia nimietatis in agente vitali, quoad operationes autocraticas attulisse, utpote quæ alia, & similia, tum generalia, tum specialia, imo & individualia, in eundem lapidem lydium facile vocari valebunt, jam quoque necesse erit, pariter exempla generalis mitigationis adferre, ut pernoscamus fundamenta theoretica & practica, in quibus universalis & particularis temperatio ac sedatio locum inveniat.

α) Sedativum generale omnibus morbis ac subjectis utile est agentis ipsius à priori innata vel ascita temperies in moribus animi, ut in operationibus moralibus, rationalibus, externis non solum, sed etiam in internis vitalibus, energiæ æquilibrium tueri valeat. Vulgus ea subjecta, naturali tali habitu prædita, phlegmate pacato ornata judicat, & asserit ea ad longævam vitam ac sanitatem præ aliis esse apta; inde quoque in morborum insultu præcipue disposita, ferociam affectuum temperata, cunctante, expectatione, expeditione, infringendi. Verba plebis ad minimum fundamentum experimentale aperiunt. **Es wäre gar ein ruhiges/ sanfftes/ mildes Gemüth. Es lasse sich im äussern nicht so leicht beunruhigen/ und überwerffen. In der Kranckheit habe mans auch zu geniessen. Er lege sich in die ruhige Stille/ und überwinde ohne Artzeney in wenig Tagen die hefftigsten Kranckheiten.** De senibus ad ordinariam & extraordinariam ætatum scalam ascendentibus, communis observatio docet, quod eorum animi habitus talem placatum, sedatum, securum tranquillitatis cujusdam fatum exhibeat; secundum plebis effatum: **Er ist ohne Scham und Gram/ er wird alt/ es ist ein zeher Geist im Geben und Nehmen/ hat eine zehe Hütte/ u. s. w.** Id si minus intelligi poterit, ratio & observatio è contrario adsertum comprobavit, dum omnia subjecta, quo magis turbidis, anxiis, iracundis, simi-

ſimilibusque animi motibus ſunt expoſita, tanto magis morboſis influentiis captandis, & ægre expugnandis habilia exiſtunt, multo minus ad aliquam longævitatem perveniunt. Alia obſervatio argumento valido inſervit, dum illud hominum genus, quod nativa ſtupiditate præditum, **die Stummen/** ſingulari robore vitæ ac ſanitatis gaudet, ut crudiſſimas diætæ, aeris, vitæque injurias perferre poſſit in multam usque ætatem. Convenit ea obſervatio, quæ totum brutorum, maxime ferorum, genus, licet eadem vitalitatis materiali mixtione ſit dotatum, à morboſitate & fragilitate vitæ humanæ ſingularem præmunitionem nactum eſſe appareat. Utriusque obſervationis fundamentum cauſale non leve fulcrum habet in agentis ipſius habitu, quod per rationales moralesque turbas, ac operationes nec defatigatur, nec diſſipatur, ſed ſolum vitalibus œconomiæ conſervatoriis actibus invigilare valebit. Quod ſi itaque naturalis moderatio animæ tantum valeat in œconomiæ ſuæ corporeæ regimine: tum nemo inficias ibit, plus valituram ejus energiam in æquilibrio actus vitalis conſervando, ſi rationalis, & moralis cultura acceſſerit, ex qua ſcilicet corporis ac mentis prudens tuitio promanare debet. Ex quo rivulo hæc utilitas defluit, ut veri philoſophi virtutum ac ſcientiarum humanarum cultum in ejusmodi objecta deduxere, quæ mentem ſanum in corpore ſano conſervare, non vero utramque partem, vel vanis diſciplinarum actionumque ſingularitatibus diſſolvere, vel obrutas mentis facultates inordinato vitæ genere magis deſtruere allaborant. Quod ſi vero humana mentis diſciplina in ſuis facultatibus percolendis tantum faciat: tum tanto magis manifeſtum fiet, quod ſi culturam mentis altius evehi placeat in ſapientiæ divinæ academiam ac perpolitionem; quod tam certe energia cœleſtis non ſit defutura, ſpiritum, animam, corpusque ſanum ac ſanctum, ſartum tectumque in ſanctificationis tranquillitatisque permanentis integritate conſervandi. Integer vitæ ſcelerisque purus, imo gratiæ divinæ balſamo tinctus, non eget terræ artificiis culinariis. Impavidum ferient ruinæ & elementa infecta, nec tenebrarum contaminabunt contagia. Spiritus novus

exaltat totam œconomiam actuum, ut inquinamenta validiore robore depellantur, & etiam ruinæ ſtatæ læta patientia perferantur ac ſubigantur.

β.) Quæ cum ita ſe habeant, quod Rex in regno vitali placidus, & placatus ſerenum cœlum terramque reddat, i. e, agens vitale moderatæ indolis totam œconomiam vitalem in æquilibrio ſano conſervet ac facile reſtituat: tum ſane prompte in hac inquiſitione ad corporis ipſius habitum deſcendere valebimus, ut æque clare pateſcat, ſi œconomiæ vitalis habitus in materia & motu, in actibus & viſceribus, in ſanguinis & humorum craſi perpetuo æqualem conſtitutionem foveat, quod tum conſtans ſanitas non ſolum facile ac in longum tempus impetrari poſſit, ſed etiam ſi ab externis, involuntariis maxime injuriis ſit labes quædam introducta facili negotio iterum expelli poſſit. Ratiocinationum firmamenta ut adferamus non erit neceſſe, cum totus macrocoſmus, ſic & microcoſmus in ſuæ œconomiæ æquilibrio optime ſartus tectusque permaneat in deſtinatum à ſupremo conditore tempus. Plebs loquitur ex firma experientia, quod ordini, æqualitati, ſimplicitati, menſuræ adſueti homines ita obdurentur, ut tandem miasmata ac fermenta maligna obvia veluti ligna ex torrente ad littora prompte ita depellantur. Es wären verhärtete/ verpichtete/ dergleichen in die Ordnung der Mäßigkeit/ Einfalt/ Arbeitſamkeit/ Gemüths-Ruhe eingerichtete Naturen/ daß ſie groſſe Stürme ausſchlagen/ ja wohl ausſtehen können. Inde ex re veterinaria exempla parallela tranſumi ſolent. Wenn die Pferde biß ins 5. 6. Jahr geſchonet würden/ ſo könten wir ſie biß ins 30. Jahr gebrauchen. Sic animale hominis corpus usque in tempus ſuccretionis dimidium ſeptimi ſeptinarii, nempe 25. rationali diætæ ordine cuſtoditum poſtmodum tanto firmius ac durabilius redditur. Tanto magis ejusmodi individua in inſultibus morbidis actus eluctatorii æqualitatem, conſtantiam tenorem ſalutarem experiuntur, quando etiam poſt juventutis bene tranſactæ tempora in conſiſtente ætate regularitatem vitæ, ut ita exprimam, conſervant, ut quantum poſſibile fermenta vitalitatis peregrina evitent, & externa

fortuita

fortuita miasmata corruptiva largum fomitem non reperiant. Unica & largiſſima per omnia tempora confirmata experientia edocta, obſervatio, à plebe etiam adducta, hoc aſſertum roborat, quod plethorici athletici, ſanguinis copia infarcti homines facillime in morbidas turbas incidant, ac difficilius perluctentur, quam alii extra talem abundantiam conſtituti, imo in valetudinaria veluti diſpoſitione poſiti. **Die fette / vollgeſtopffte / blühende Naturen werden eher kranck / und bleiben erliegen. Aber die magern / leeren überſtehen leichter groſſe Kranckheiten / ja kommen nicht ſo bald hinein.** Quisquis itaque hanc duplicem ſemitam certam ac tritam æquilibrii placidi in motu morbifico certo ac ſollicito oculo, pedeque ingredi ſtudet: inveniet, imo ſalutariter adhibebit internum ſedativum contra turbas ac nimietates motus vitalis, ſcilicet mentem ſanam in corpore ſano quærere, i. e. animam à paſſionibus liberam ac tranquillam conſervare, corpusque illecebrarum turbis non reddere iners, nec abundantiam humorum viribus ac viis moleſtam lauta & otioſa diæta accumulare. Sic & in hoc ſanitatis conſervandæ ac reſtituendæ tramite pietatis ſtudium exeret ſuam utilitatem hujus vitæ, ut anima corpusque à voluptatum inſultu cuſtodita interitum tanto longius avertere valeat.

γ.) Si itaque lucta ſpiritus vitalis contra morbidas invaſiones ex habitu innato & aſcititio æquilibrii temperati quoad animæ corporisque ſtatum non facile in præcipitantiam ac nimietatem prolabatur: tum tanto magis actus autocraticus, ſeu medicina interna, juſtum, æqualem, temperatum curſum abſolvet, ſi miniſterium medicum externum legitimam ſynergiam in proportione temporis modi, loci, gradus obſervabit ac tuebitur, quod fit expectando, expediendo, ſublevando, promovendo actum internum pro cauſæ exigentia. Latet in hoc myſterio arcanum methodi medendi, imo theſaurus medicus, omnes fontes pharmaciæ, chymiæ, & alchymiæ, multis ponderibus exſuperans, quodque nec dici, nec ſcribi, ſed attenta obſervatione hauriri poteſt ac debet. In ampliſſimum campum excurrere neceſſe foret, ſi hoc myſterium methodi univerſalis thera-

peuticæ

peuticæ commendare, ne dicam edocere, in me susciperem. Remitto inquirentem mentis oculum in tractatum STAHLIANUM Anti-Harveanum de arte curandi morbos cum expectatione, aliaque ante hanc commentationem de hoc argumento practico uberrime prolata & mathematica demonstratione corroborata monita, cum energia naturæ operari, naturam in sui vergentia adjuvare, ministerium medicum cum tali magisterio autocratici actus probe conjungere, subordinare, impedimenta removendo, materiam præparando, vias aperiendo, errores corrigendo actum ab extremitatibus festinationis, ac retardationis in æqualem gradum deducendo, & ita per omnia genera speciesque morbidorum motuum regimen justum, & appropriatum inagens, imo peragens, inducendo & absolvendo. Est itaque hæc ministerii medici justa subordinatio certissima indicatio & indicatum, sedativum archei impetrandi sine multo artificio chymico vel hermetico, ut ex plebis etiam testimonio firma experimentali totus tractus ac ductus morbi placite, tuto, certo decurrat, si intentio agentis depuratoria & eluctatoria apta manu directionis therapeuticæ expediatur. Ut adsertum unico exemplo collustrem, in febre placida tertiana actus energeticus naturæ æqualiter ac placide decurrit, si finis excretorius per vomitum, diapnoem &c. sola continentia quieta & abstinentia legitime succedat. In turbidum vero præcipitantiæ ac confusionis gyrum natura deducitur, quando hic scopus internus adæquatus per diætetica & medica impedimenta sufflaminatur. Quantas turbas nimiorum ac novorum motuum suscitant refrigeria, chinata &c. ut inscii judicent, peregrina fermenta, novumque ac inopinatum quendam morbum accessisse? Est itaque certum sedativum archei in motibus morbidis, si prudens minerva, apta methodus, naturæ ordo internis agentis luctis sese adsociet, easdemque ad destinatum scopum, terminum, modum, tempus promovere allaborat.

δ.) Sed ut ne in temperatione motuum morbidorum methodum naturæ ac artis adæquatum solum denominem; placet etiam generaliter τὸ indicatum cum indicatione, remedia cum methodo conjungere,

quo

quo cognoſcamus, qua via ad hunc fontem pharmacia ſedativi archealis pervenire valeamus.

1.) Aqua eſt certe ſedativum, & præoccupativum motuum nimiorum certiſſimum, ſecuriſſimum, utiliſſimum, tum in ſtatu ſanitatis, tum morbi, & quidem chronicarum acutarumque turbarum. Vide Hoffmanni diſquiſitionem & commendationem aquæ pro Medicina univerſali. Agreſtis ac popularis vita, aquæ potu ſaturata, edocet largiſſima experientia hunc fructum, utpote quæ tota turba morborum æſtuoſorum, ſpasdicorum vel caret, vel rarius afficitur, vel mitius affligitur. Quamobrem febres æſtuoſas, hæmorrhagias impetuoſas, arthritides atroces, ſpasmos pertinaces, dolores rodentes rarius apud hoc vitæ genus deprehendimus, quam apud illos, qui ſpirituoſa, aromatica, pingui diæta utuntur. Hinc certe potiſſima virtus aquarum medicatarum pendet, dum ſimplex aquæ puræ uſus craſſam ſanguinis conſiſtentiam attenuat, diluit, abundantiam diſſolvit ac conſumit, acrimoniam orgaſticam temperat, reliquasque maſſæ ſanguineæ impuritates ad excretionem fluxiles & aptas reddit. Vitriolica, martialis, ſimilisque ſalina qualitas ſive volatilis ſive fixa reputetur, longe minoris ponderis eſt in conſideratione, ac comparatione virtutis medicæ, ſed ſolum aqueam emollitionem, levi tono reducendo, corrigit, atque ita dilutionis actum innocuum conſervat. Unde ſalia ejusmodi extracta per ſe adhibita, imo ex minerali puriore latifundio hauſta, longe tantam energiam non exerunt, quam aquæ ſoteriæ puræ. Inde generalis ac certa indicatio eſt, & manet medicationi per aquas minerales, ut ætas junior & conſiſtens temperamentum abundantiæ orgaſticæ ac ſpiſſiori conſiſtentiæ ſubjectum ei quadret, contra vero ætas ſenilior & junior, puerilis, cauſæ lymphalis qualitatis; viſcerumque læſionis &c. contra indicationem forment. Congruit cum hoc ſcopo, uſu ac fundamento potus aquarum calidarum, per orbem univerſum fere in conſuetudinem traductus, quo etiam fato veluti quodam cœli uſus & abuſus potuum ſpirituoſorum incraſſantium impediuntur corriguntur ac obliterantur. Profecto Thée herbulæ

micula, adstrictoria terrestri facultate pollens, per se in œconomia vitali nunquam ejus frugalis usus se se commendabit, sed solùm in aqua, veluti in acidulis vitriolicà levis adstrictio, humectationem emollientem ac relaxantem corrigit, ne scopus princeps attenuatorius, consumptorius, temperatorius impediatur. Quamobrem imitationes per herbacea ficciora terrestria foliorum fruticum acaciæ, rosæ &c. certius simplicem potum diluentem elargiuntur, quam per herbas ac plantas medicas, plus odoris, saporis, energiæ possidentes, quæ objectum impurum in sanguine deposcunt: Unde etiam secundum hanc qualitatis diversitatem infusa ac decocta theiformia pectoralia, uterina &c. adhiberi solent. Cum in sano statu, imo in chronicorum morborum impulsu, aquæ usus tantum sedativum existat ad motus sanguinis exorbitantes cohibendas ac impediendas: tum certe huic simplicitati medicæ palmam adferet experientia ac ratio in therapia morborum acutorum. Profecto popularis medicina uberrima exempla indies colligit, quantum aquæ simplicis, pane tosto paululum conditus, potus apud pauperes valeat, sine ulla aut multa medicina sub abstinentia & quiete ad febriles quoscunque impetus refrænandos. Ditiores ditiore sorte non fruuntur, dum ordinarii potus vinosi, cerevisiarii ceteraque pharmaceutica artificia, imo vel sapidissimæ ac insipidissimæ ptisanæ: mature in summum fastidium abeunt, contra vero simplexque potus theé maxime satis dilutus, & herbæ tinctura minimum tinctus, appetitui, & siti, imo utilitati satisfacit. Sacchari condimentum innocuum quidem est, dum hoc vinculo aquositas firmius cum substantia humorum combinatur, ut dilutionis, temperationis, resolutionis actum lentius ac certius exerere valeat, nec ita velociter ad secessionem transeat.

2. Quod si vero aquositas expansa tantum usum adferat sedativum ac temperativum in actus vitalis morbidi æqualitate conservanda & ad justum scopum depuratorium deducenda: tum facile fundamentum à priori & posteriori firmum cognosci poterit, quod aquositas veluti, ut aliquatenus exprimam, concentrata, & per puram terrestreitatem fixata primum locum in artificiali sedatione sit habitura. Profecto

acida

acida & ſalia dextre ſelecta, & uſurpata & medicos & ægrotos hujus certi effectus ac uſus temperatorii reddunt. Salia in genere ſunt clavis, potentiſſima, firmiſſima ac duriſſima vincula compagum mineralium reſerandi ac diſſolvendi. Habent itaque in animali mixtione faciliorem ingreſſum ac complicabilitatem, terreſtreitatem jam emollitam, ſulphureo-oleoſam ei adhærentem fomitem ac igniculum, in centrali mixtione invertendi, temperandi, refrigerandi, ſopiendi. Quamobrem tum acida pura, tum alcalino vinculo ligata ſub certis cauſarum, ſubjectorumque conditionibus ac circumſtantiis ſecuram hanc ſedationis energiam exerunt. Acidum citri, granatorum ribium berberum, ſimiliumque frugum in regionibus æſtuoſioribus, quantum ſe ſe grato guſtu, acceptoque uſu commendent, large loquitur experientia. Tanto magis hanc culinarem medicinam aliæ regiones & homines ditiores in æſtuoſis motibus vitalibus ſec. & præter naturam, pro temperatione refrigeratoria adhibent. Limonatæ uſus notus eſt in æſtivo calore. Citri fruſtula cum ſacharo temperata in æſtibus morbidis aniculæ ægris adferunt. In ſtatu morbi pariter julapia refrigerantia ex aqua ſimplici cum pauco vino acuata & ſyrub. rub. id. vel ceraſorum, vel granatorum, citri, flor. tunic. &c. condita ſuppeditant. Imo aquas deſtillatas odoratas, ceraſorum, acac. namph. cinam. &c. pro condimento admiſcent. Ptiſanæ notæ ſunt variæ ex decſt. CC. hord. ceraſ: paſſul. citratis & acidulatis. Acida mineralia etiam in hunc cenſum vocari ſolent ſimplicia & dulcificata, licet non eadem ſecuritate ac vegetabilia, quia in macrioribus, cholericis, ſenſibilioribus temperamentis majorem ardorem nervis imprimunt; unde non ita ſecura evadunt ac in ſpongioſis, ſanguineis, orgaſticis ſubjectis. Taceo quod præcipue acidum ſalis com. irritationes pectorales ſuſcitat & augeat, & nitroſum ſtimulos diureticos inducat. Quamobrem alii vitriolicum acidum ut ſimplicius præferre ſuadent. Pendent inde commendationes phlegmatis vitrioli in febribus acutis, olei, vitrioli c. p. 4. 6. 8. Spir. V. r. ſimplici digeſtione dulcificati, aut abſtractoria cohobatione mitigati encomia, & univerſalismi elogia, quæ in ſanguineis, ſpongioſis,

giosis, orgasticis, arthriticis motibus locum quidem habent; sed in tenerioribus internarum partium solidarum & fluidarum turbis circumspectionem requirunt. Salia neutra in genere habent hanc sedationis laudem tum privative impedimenta visciditatum resolvendo ac removendo, cujus generis neutra salis communis & vitriolata faciunt, tum magis positive fluidas & solidas partes, sulphurea acrimonia orgastica tensas, blanda ac balsamica refrigeratione mitescendo, quod præstat nitrum. Hoc enim sal aereum ejusmodi conditionis est. si mixtionem chymico-physicam evolvamus, quod aquam, terræ puræ, immersam & principio igneo tinctam in se gerat, indeque facultatem possideat se se cum substantia sanguinis intimius conjungendi, & ejus materiam ac motum orgasticum moderandi, ut actus depuratorius æqualiter succedat. Experientia ipsa uberrime huic ratiocinationi viam præmunivit, dum nullum vel naturale vel artificiale concretum hactenus inventum sit, quod ita constanter, tuto, certe, utiliter motus morbidos exacerbatos, febriles, orgasticos, arthriticos, hæmorrhagicos &c. in æqualitatem salutaris eluctationis promoveat ac deducat, quam hoc mixtum, id quod per annuos usus multorum centenariorum pulverum nitrosorum demonstrat. Tanta vero inest refrigeratoria temperativa facultas, ut etiam coagulatio facile lymphæ accedat, quæ correctione nova conjuncta per absorbentia, diaphoretica fixa, digestiva indigeat.

3. Prout vero hæc sedativa per & in materiam temperante correctione operantur: ita pariter ejusmodi generis mitigantia attendi eorumque usus probe dijudicare meretur, quæ in nervos vel immediate in motum antispasmodica placatione operantur. Sic remedia ex animali regno fere omnia energiam magis in motum quam in materiam exerunt. Quæ etiam in tendendo motum operari deprehenduntur, ingressum occultum in nervos, imo ipsum actum fovent. Multa vero ex hoc censu peculiari antispasmodica placatione gaudent. De lumbricis terrestribus nota est observatio larga, quod in motibus spasdicis, arthriticis, convulsivis imo epilepticis moderandis ac supprimendis singulari potentia polleant. Fuerunt nonnulli, qui chy-

micam

micam clavem insuper adhibere studuerunt, & interius ad extra deducere veluti in mineralium analysi laborarunt, scilicet calcinatione lumbricorum usque in rubedinem, ex qua pulvillus prodeat ad paucissima grana turbas quasvis archei, veluti panacea hermetica sistens. Sic bufones, imo & talpæ usti simili fundamento, interius ad extra provocando, facultatem singularem nanciscuntur in doloribus vulnerum non solum, sed etiam aliis turbis ex motibus morbidis retrogradis irritationes & impetus naturæ sopiendo, ac morbidum actum in æqualitatem reducendo. Ad animalem partum pertinent salia volatilia urinosa, quæ usum tonicum habent in exacerbationibus spasdicis dolorificis, maxime sub declinatione paroxysmi, ut ita lacerati ac enervati nervi leni constrictione roborentur, ac vellicationis novæ turbæ præoccupentur. Ex vegetabili regno, si quæ sedativa qualitate gaudeant, illa ex duplici inprimis fundamento agere videntur, vel terrestri aliqua constrictione motus nimios maxime exundatorios cohibendo, vel stupefactione intensum sensum ac motum ligando. Ex priore censu operantur chinata, quæ periodicos motus febriles, spasdicos cohibere efficacia sunt, premature vero adhibita, si causa materialis nondum sit sublata, materiam & morbum eluctatorium cohibent. Sic terrea hepatica, splenetica, similis energiæ existunt, resoluto ac correcto infarctu, tonum viscerum relaxatum iterum roborandi, quali operatione etiam martialia in hypochondriacis vitiis agunt. Ex posteriore numero sunt opiata, similisque furfuris narcotica, ultimo loco nominanda & adhibenda. Certe enim abusus major, ac noxius magis est, quam usus. Carere possumus hac universalitate stupefactiva ac sedativa. Qui enim palliationibus opiatis imposturam ad tempus calcitrant, illi pro brevi placatione complicationes affectuum irregulares, & immedicabiles accersunt. Halitus horum arcanorum aliis temperantibus admixtus, & non nisi correcta & evacuata causa continente adhibitus, in prudente methodo, ac experientia locum habet. Attamen ob inæqualem effectum: cum etiam facile per opiata motus depuratorii supprimuntur variæ correctiones narcoticæ facultatis adhi-

beri solent per purgantia, alexipharmaca, castorina crocata, myrrhata &c. ut inde media virtus prodeat. Specifica, motus singulares respicientia, claudant merito agmen generale. Sunt vero ad notionem primam incognita reddita ex mechanismi turbis, cum dari ea in dubitationem sit traductum. Dari vero docet experientia, & illustrat ratio, dum archeus verbis, lapidibus, ac herbulis, in suis irritis, anxiis, turbidis actibus compesci posse operationes vitales ac rationales declarant. Non est spiritualis, sed naturalis, ut dicatur, magia, de qua, uti de superiore magis generali, in specie jam documenta & experimenta addere placet.

PARS SPECIALIS
DE
SEDATIVI ARCHEI
DOCUMENTIS ET EXPERIMENTIS.
CAPUT I.
DE
SEDATIVIS ARCHEI
In Anomaliis pulsus, seu motibus febrilibus.

§. 1.

Sicut morbus in genere quoad sui causarum complexum est actus naturæ, seu agentis vitalis, per intensionem motuum vitalium varia inquinamenta putrefactiva eliminandi: sic febris in evidentiore statu ac gradu hoc nomine insigniri meretur, cum Doctorum & plebejorum consensu sub hac alteratione intensiva actus vitalis aliquid perpetretur, quod intentione rationali ad adæquatum, & salutarem finem, locum, modum, tempus vergat. Anima materiam peregrinam, putredinem ac mortem œconomiæ suæ vitali minitantem, in suo gremio diu tolerare ac conservare nequit. Unde omni modo intentionem suscipere debet, eam putredinem

maturc

mature expellendi, ficut ordinario vitalitatis actu impuritates sanguinis, & nutritionis perpetuo secretionis & excretionis actu è mixtione ac structura animali expellit. Medium itaque ac instrumentum, quo anima, tanquam principium vitale utitur, pro destructionum materiis subigendis, est actus secretorius ac depuratorius in visceribus ad hunc scopum destinatis. Quum vero materia vitiosa sit gradu majoris potentiæ, quam ordinariæ impuritates, ad hunc corruptionis effectum inducendum: requiritur inde gradu major intensus motus. Inde ordinarius gradus motus pulsorii intenditur, ut breviore tempore tota massa humorum ad colatoria compellatur, & ita fermenta impura separentur, imo è tota œconomia animali expellantur, quod per sudores, urinam, fœces, mucositates &c. evenit. Actus itaque intensionis motus circulatorii sanguinis, qui calorem, sitim &c. tanquam necessaria symptomata, & incommoda post se trahit, ut labores molestos, incendium domus impedientes ac extinquentes, sunt animæ conamina utilia ac necessaria pro instrumenti sui corporei conservatione. Quod vero anima in ejusmodi rationali in se actu nihilominus erret ob periculi formidinem, repentinum mali insultum, indeque vel erronee, vel trepidanter, vel nimie ac præcipitanter operetur; nemo in admirationem ducere poterit, cum, ut superius dictum, ejusmodi turbæ ac præcipitantiæ in actibus rationalibus ac moralibus, in quibus tamen propriæ & aliorum sensuali ac intellectuali auxilio frui potest, indies occurrant. Quamobrem nimietatis excessus & aberrationes hic notare, solumque loco æthiologicæ considerationis therapeuticum ministerium subordinare laborabimus, & hoc quidem per paucas observationes generales, ut ita via sternatur, in aliis exemplis generalibus, ac specialibus, manum medicam temperantem ac sedantem prudenter applicandi.

§. 2. In acutis febribus generaliter temperamenta juniora cholerica ad præcipitantiam in motu febrili eluctatorio proclivia esse vulgaris experientia edocet; unde & tonsores cauti fieri solent in tincturarum bezoardicarum, camphoratorum, myrrhatorum, volatilium &c. usu, cum & refractæ doses, maxime intempestivo tempore incre-

incrementi in paroxismo, actus secretorii &c. motum jam præcipitem in confusionis ἀκμὴν deducant, ut vel æstus furens sine sudore, vel sudores symptomatici diffusi, vel peregrini actus deliri, hæmorrhagici, inflammatorii ita insequantur. Experti vero, & ad experimentandum apti, observatores ac directores actus febrilis bene attendunt, an gradus motus in proportione sub- & objecti, temporis, finis, medii sit adæquatus, an solum sedula expectatione expediri, an stimulo placido erigi, an vero moderamine temperato in æquilibrium constans deduci, adjuvari, ac conservari debeat. Temperatus animus à sollicitudine trepidante, à curis, clamoribus, cursitationibus adstantium, à conscientiæ anxietatibus, similibusque moralibus impedimentis vacuus, redditur, imo, quicquid deest, gratiæ rationisque ministerio placatus magni ponderis existit, turbas vitales occupandi, & autocratiam febrilem ad statum æquilibrium deducendi. Regimen æquale in continentia quieta, in abstinentia ab omnibus diæteticis irritamentis, in calore moderato omnes panaceas archeales in efficacia moderativa superat plebejorum testimonio. Simplex potus aquæ vel calidæ vel tepidæ motum ardentem sanguinis temperat, humores diluit, acrimoniam orgasticam, sulphureoacrem demulcet, fluidificationem pro secretoria & excretoria promptitudine facilitanda, promovet, sensum ardoris refrigerat &c. Quantum momenti sit hic naturæ ordo pro sedatione nimietatis turbæ secura, docet contrarium regiminis vitium, quando medentes & ægrotantes potibus spirituosis vinosis, cerevisiariis, imo crudioribus, & æstuosioribus indulgent, maxime sub tempore incrementi febrilis. Moderamen etiam adfert non leve in impetu æstuosiore, quando in declinatione cujusvis paroxysmi sudorum lenis exhalatio commodo ac sedato regimine, continentia quieta, temperata dilutione imo solum halitu alexipharmaci, expectatur, expeditur, adjuvatur, promovetur. Insequens paroxysmus, imo universalis typus placide ita succedit ac decurrit. Quod si vero diapnoes proruptio statim alacritatem inquietam incutiat, & sudor morsicans jectigationem, ventilationesque aereas sollicitet, imo refrigeria

potu-

potulenta, erectiones, indusiorum, lectorum, conclavium mutationes &c. accersit: quid tum eveniat, observationes tristes edocent, ut initia luctæ salutaris, imo morbi levioris, in recidivas acerbissimas, imo lethales, devolvantur, Quantum itaque simplex regiminis talis custodia valeat pro vehementiæ placatione, manu palpari poterit, & exinde addisci, imo omni sollicitudine attendi meretur, quid ulterius therapeutica manus valeat, si cum diætetico tali ministerio conjungatur. Acida vegetabilia, citri maxime, nec non ribium, berberum, cerasorum &c. grata sunt temperativa in æstus febrilis ferocia, non solum sitim extinguendo, sed materiali nexu intimiore in mixtionem sanguinis ingrediendo, ac sulphuream acrimoniam obtundendo. Mineralia acida ejusmodi securitatis non sunt, maxime in æstuosis motibus pectoralibus concurrentibus, quos nimium exacerbant, maxime salis communis acidum, uti nitri acidum, motus renales magis stimulat, vitriolicum vero lympham nimium inspissat. Quamobrem non solum calidiora climata acidorum ejusmodi frugum pro medela æstus nat. & præternaturalis suppellectili larga potiti sunt, sed etiam alii affinia abundantiæ temperatoriæ participes redduntur, ut in omnis febris æstu citri usus pro secura ac utili temperatione ac refocillatione suaderi queat. Notari quoque meretur, quod, sicut citri usus, quocunque etiam modo ac formula diætetica adhibeatur nullum facile damnum cuivis temperamento adferat; ita hoc acidum, terris calcariis ostraceis immersum, optimam colliquationem fermenti acris sulphurei oleosi putrefactivi producat, itaque materiam æstus ligando effectus æstuosi nimietatem infringat. Notum enim est ex observatione attenta decursus febrilis, quantum in tempore incrementi, maxime & typi exacerbationis secretoriæ, quæ singulis diebus sub intensione æstus revertitur, valeant diaphoretica sic dicta fixa, quæ materiam acrem pinguem orgasticam in sanguine præcipitant, & ita impuritates putrefactivas agiles invertant ac obtundunt. Primarium horum præcipitantium est terra ostracea absorbens, pauco acido, tum vini, tum maxime citri, semi saturata, ut ita complicabilitatem ex ali-

qua salsedine consequatur cum sanguine. Fiunt itaque talia absorbentia semi saturata efficacia ac utilia in motu febrili diaphoretica fixa, præcipitando non tam aciditatem in primis viis, & in sanguine, sed oleosam acrimoniam fermentativam colliquescendo & ad secretionem disponendo, cujus actus indicia reddunt urinæ coctiones. Ex hoc fundamento à priori & posteriori stabilito erit ita usus sedativus tutus in impetu febrilis æstus, quacunque formula etiam adhibeatur. In potiunculis cum aqua diapn. adhibentur conch. matr. perl. lap. cancror. &c. semi saturati acido quodam vegetabili. Terrea animalia CC. ust. &c. stypticitatem induunt, si cum acidis commisceantur. Terræ ac boli sic dictæ sigillatæ, balsamicæ, pariter stricturam induunt. Porro sunt temperativa in actu febrili nitrosa, imo nitrum purum sine multa alteratione adhibitum, modo purum existat, & quidem non solum sitis æstuosæ formali mitigatione, sed acrimoniæ oleosæ in sanguine imo substantiæ acris fermentativæ, materiali inversione ac obtusione. Experientia edocet hoc fundamentum uberrime, quantum pulveres nitrosi ex nitro conch. citr. tartar. vitr. antim. diaph. imo cum pauca cinnabari acuati moderativam ac sedativam energiam exerant in motuum febrilium ferocia mitiganda, imo in æquilibrium constans salutare excretiones deducendo, ac conservando. Una vel altera dosis omni die versus exacerbationis impetum adhibita veritatem ita confirmavit pluribus, ut ulteriore demonstratione non opus sit. Imo ea est mitescendi facultas, ut tempore status, tanto magis decremento, necessitas suadeat, ab iisdem abstinere, & despumationem naturæ, ut Sydenhamius edocet, alexipharmacis absolvere, seu cordiacis naturam erigere, ad se & excretorium actum consumendum, ne defatigata natura in inchoato opere labascat, vel incongruo temperationis, refrigerationis, suppressionis regimine ac medicamine deficiat. Imo ubi prima præcipitatio necessaria requiritur, & erectionis dissipatoriæ negotium conjungendum judicetur, tum alexipharmacis fixis temperata volatilia pulv. contrayerv. aquæ diaph. scord. sambuc. cardb. &c. commaritari solent, maxime apud plebem, quæ subordinationis opus non

ita

ita dextre obſervare valet. Sic in febribus acutis ſuccedit labor ſedativus ordine naturæ, miniſterio diætetico ac therapeutico adjuto, ut per omnes ſpecies, imo individua, ſub paucis variationibus hanc ſemitam tritam premere, eique inſiſtere valeamus. Ad periodum criticam ſeptennariam ſi ductum morbi, tanquam vergentiam naturæ, regimine apto proſequamur; tum tanto certius omnis vehementia, & impetus evitari, ac oblitiniri poterit, maxime ſi & exitus morbi placida analepſi, & alexipharmaco robore à reliquiis probe depuretur, novæque recidivæ fomes ſubtrahatur.

§. 3. In intermittentibus febribus, in quibus actio animæ totalem intermiſſionem gerit, ſedativum in indicatione & indicato non ita locum habere cenſeri poteſt. At patientiæ in medentibus & ægris curta eſt ſuppellex, dum placidus intermittentium, ſibi relictus, ac medicatione parum interruptus, decurſus raro id vitæ ac ſaninitatis diſcrimen adfert, quam qui multis artificiis, & arcanis, (qui frigoris & caloris incommoda ſolum reſpiciunt) eſt turbatus ac ſuppreſſus. Cum vero actus naturæ ſolum & maxime directus eſt ad impuritates, in & circa primas vias eliminandas: tum certe nimietas ſæpe invadit naturam in motu frigoris, vomitus, æſtus, ſudoris excitato &c. tum ex copia, vel tenacitate materiæ, tum ex diætæ regimine neglecto. Frigoris exceſſum non temperabimus, ſi vel ægrum æſtuanti lecto, hypocauſto, imo clibano obruere velimus. Eſt vero hoc incommodum, & conſequens ſymptoma ex congeſtione ſanguinis ad interiora, & humiditas ſeroſa pro e- & demolliendo muco, in & circa primas vias tenacius obhærente ſeparetur à maſſa humorum. Miniſterium Medicum adjuvat hanc intentionem naturæ dilutione calida præmiſſa ſufficiente, nec non digeſtivorum ſalium præparatione ac uſu. Ita primos intermittentis febris actus facilitetur in ordine naturali. Vomitus nimius ac iteratus ſi accedat, irritum eſt conamen, anodynis eum ſupprimere, vel forti emeſi promovere. Potius digeſtivis materia mucoſa mobilis, & vomitui cedens redditur imo fluxilis, ut leniore exitu κάτω dejiciatur. Diuturnitas totius typi abſcinditur, ſi recte & æquali-

ter intentio totius actus separatoria adjuvetur. Æstus, siccitatis, sitis molestia sequitur ordinarium cursum febris, sed magis extraordinarium, si refrigeratio, suppressio, simileque Medico-diæteticum vitium sit admissum. Unde abstinentia, & quies potus calidus aqueus, nec non digestiva & amara ejusmodi ferociam symptomatum deliniunt. Temporis observatio est quidem inquietis ægris triste, sed tutum consilium sedationis. Do exemplum. Quartanæ autumnales tendunt ut plurimum in vernalem terminum. Si ægri diæta apta, & dictis pharmacis digestivo-amaris hanc periodum patienter expectant ac decurrunt; tunc sæpe hæc febris, qui therapiæ alias scandalo evadit, feliciter cedit, imo veram orthostadiam restituit. Quod si vero cura laborque in suppressiones per chinata, martialia, opiata, aluminosa &c. impendatur: tum pro brevi, ac levi sedatione incompescibiles ac confusi paroxysmi, imo transitus in hecticas, hydropicas, ictericas, nec non acutas, inflammatoricas &c. deviationes succedunt. Sedativa itaque in intermittentibus sunt non positive talia, quæ communi usu celebrantur, sed privative magis, naturam medentem in actu autocratico adjuvantia causam, materiam removendo. Motus sic cessat per se, quando materia est sublata. Hæc non potest excerni ac promoveri, nisi prius mobilis sit reddita. Utrumque si processerit manu medica obstetricante, tum actus naturæ, iterato exercitio in consuetudinem traductus, una vel altera dosi tonici vel anodyni placari valet. Id si minus contingit, suspicio non sine ratione foveri potest, latere adhuc anguem in herba, motumque febris continuatum necessarium esse, pro reliquiis, tenacius visceribus infixatis, expurgandis. Ordo itaque naturæ est methodus medendi, & arcanum therapeuticum, quod prudenter applicari debet, si tollere morbum, non vero palliare, velimus.

§. 4. Ad febres chronicas pertinent febres hecticæ ac lentæ; unde merito harum tractatio & consideratio per sedativa intermittentibus subjungi poterit. Sedatio vel occupatio exacerbationum paroxysmi in veram indicationem transire ac pertinere multis videtur, cum

causa

causa diu sine impetu ejusmodi hectico latere valeat. Est vero talis status hecticus comes abscessuum internorum quod non solum ocularis inspectio in cadaveribus hecticis demonstrat, sed etiam causæ ac morbi antecedentes, imo phœnomena ac passiones concomitantes, indicant. Etsi vero talis ad abscessum in visceribus vergens dispositio non illico in actu ulceroso vel suppuratorio existat; tamen potentia seu actus primus infarctus, stasεos mucidioris, scirrhositas &c. eo tendit, quæ languidiore aut citiore cursu pro diversitate subjectorum in plenariam corruptionem ruit. Potest vero ac solet talis nodosus infarctus vel major, vel minor in aliqua internarum partium, maxime in viscere, diu latere, & quasi dormire, priusquam febris hectica depascens accedat. Quod si vero supervenerit febris & plerumque plenaria consumptio corporis, & visceris putrefactiva dissolutio advenit, tum sane salutaris exitus morbi & visceris restitutio neque à natura, neque ab arte sperari potest. Specialis est observatio, quæ superius jam est notata, quod in animantibus brutis sæpius ejusmodi scirrhi, & apostemata occultiora in visceribus deprehendantur, cum tamen pro consumptione tabida pinguescentia magis insequatur, quod in genere ovillo frequenter obvenire solet, maxime in pectore ac pulmonibus; Unde illi, qui tussi sicca chronica cum æstu & languore affici ac tentari incipiunt, ad parallelismum ovium phthisicorum relegari solent. Sie keuchen wie die alte Schaffe/ sie haben schwindsüchtige Schaffs-Husten. Altera observatio, quæ porisma insecuturum de usu sedativi, commendare videtur, est, quod adultioris ac virilis ætatis subjecta eundem statum viscerum diu tolerare, & longiore tempore in hac hectica dispositione vitam conservare possunt, quam juniora, quæ celeri impetu in hecticam consummatam ruunt, quamobrem sæpius pro therapeutico scopo ejusmodi contemplatio sollicita subvenit. 1.) Corruptio visceris est status natura ac arte immedicabilis, uti corruptio partis externa profundior vel mortem vel partis vel universi post se trahit. (2. Incipiens corruptio, in nodoso infarctu solum constituta, averti alio modo nequit, quam si nodus ille intactus relin-

quatur, & in quiete toleretur. 3.)Indicat hoc brutum animantium genus, quod agente stupidiore gaudet, quodque non facile contra ejusmodi læsionum ruinas insurgit, indicat etiam in humano genere adultior ac pacatior ætas, quæ ad toleranda incommoda in rationalibus, sic & in vitalibus, aptior existit. 4.) Quæritur itaque an & quomodo in juniore ætate, quæ ad mala avertenda æstuosius insurgit, indeque facile in nimietatis ac præcipitantiæ vitium incurrit, impetus motuum orgasticorum, & hinc etiam hecticorum, præverti possit, ut malum incorrigibile toleretur. Non est hæc ficta, prima, otiosa, experientia ac ratione frustrata, indicatio, vel irrita speculatio. Nota est Anglorum præcipue Medicorum consultatio & medicatio non solum per aeris mutationem, & morales alterationes, sed per medicas actus subvenientis occupationes ac suppressiones, scilicet per chinata, quibus subito exacerbationes febriles in hecticis dispositionibus supprimere, & ita antevertere nituntur & hortantur. Ejusmodi monitum ac consilium & alii applicant, licet dubium effectum inde libere profitentur. Nota hoc scopo Mortoni, imo & nostri STAHLII, aliorumque suasio, ad V. S. statas revulsorias in hecticis, sub orthostadia aliqua non intermittendas, quæ in hoc statu æque necessariæ sint ac in plethoricis. De utroque hoc auxilio, exacerbationes febriles in hecticis antevertendi, prudenter adhibito, possunt adferri exempla, quæ consummationem hecticam diu suspendere atque cohibere valere declarant. Securius consilium vero suppeditare animus est. Erat Medicus celebris præcipue in tractatione diætetica ac therapeutica hecticorum. Hic vero stratagemate usus est, dum ægris hecticis, versus tempora æquinoctialia ac solstitialia pharmaciam ac diætam blandissimam, veluti tractationem puerperarum, suaserit, per p. absorb. cum aquis diapn. & juscula alterata ex herbulis, vel rad. lenioribus abstersivis appropriatis. Imo hac fraude ægri sensim in perpetuam valetudinarii regiminis consuetudinem ducebantur. Profecto efficacior hæc insensibilitas medicationis est in paroxysmorum hecticorum exacerbationibus secure sedandis ac occupandis, quam arcana quævis alia, quantumcunque experientia

addisci

addisci potuit. Imo nulla certior methodus est, hecticos mature benevola analysi coronare ac absolvere, quam si vel purgantibus visciditatem evacuare, vel dect. dulcibus nodos emollire, vel terreis, tonicis, saturninis, martialibus, jovialibus colliquationes cohibere velimus. Illi vero qui acidulis blandioribus cum lacte temperiem sedativam quærunt, ultra metam diæteticæ mitigationis non transcendunt, dum alii securius simplici theé formi potu ex bell. tussil. urtic. &c. c. lacte vel mucilagine avenacea, emulsione, gelatinaque culinari, modicum pascendo, naturæ libertatem ac quietem custodiunt. Gemmata sudores ac diarrhœas colliquativas tuto cohibere experimenta clinica docent ac admittunt. Similis usus ac fundamenti sunt vegetabilia terrea, hoc scopo in initio vel fine exacerbationum motus febrilis hectici adhibenda, nempe species muscorum pulmonarium, hepaticæ fontanæ &c. utpote quæ tenui tono æqualitatem motus reducunt.

CAPUT II.
DE
SEDATIVIS ARCHEI
In Anomaliis Toni, seu Motibus humorum spasdicis, orgasticis, &c.

§. I.

PRincipium vitale in organismo motus autocratici tum secundum tum præter naturam, œconomiam suam corpoream à destructione corruptiva præservandi ac custodiendi, utitur duplici motus instrumentalitate, nempe progressivi, pulsorii, circulatorii, & tonici à priore plane alieni. Primo actu massa tota sanguinea à corde ad partes depellitur, & ab iis iterum reducitur, eo præcipue scopo, ut sanguis appulsu ejus ad collatoria impuritates putrefactorias deponat. Altero actu, qui systolem & diastolem fovet in omnibus partibus fibrosis, motus præcipue autocraticus dirigitur ad partem specialem, sub quo actu motus progressivus haud alteratur. Cum vero prior actus per sanguinis motum progressivum auctum majorem naturæ laborem facessat, imo magis sollicitum, periculosum

sum, difficilem pro- & successum minetur: facile ratio à priore percipi valet, quod natura ægrius hoc methodo eluctatorio utatur. Altera vero methodus per motus tonici intensionem reliquam vitalis œconomiæ systemati tantam difficultatem non adfert. Hinc frequentius hujus motus tonici alterationes & exacerbationes eveniunt. Uti vero communi proverbio notum est, quod pauci morbi observentur, in quibus aliquid febrilis non notetur, ita etiam æque certum est, quod pauci obveniant, in quibus nil spastici, seu motus tonici alterationes, deprehendantur. Non est nostri loci, temporis aut scopi hujus motus tonici naturam ac influxum in actum autocraticum principii agentis edocere, sed solum placet, imo necessitas jubet, pro sedativi vera indicatione in hujus motus nimietate invenienda, summas classes ejusdem breviter delibare ac indicare, quo ordine ac statu in ejus excessu talis medicatio locum inveniat.

1. Actum hæmorrhagicum motus tonici intensione ac directione à natura perpetrari extra dubium est, dum temporis, loci, modi, ordinis & similium immaterialium fere circumstantiarum observatio in hoc actu luctam naturæ rationali electione agentis, & appropriatum inde organismum eligentis, commonstrent. Cum vero efficientia hujus actus, nempe anima vitaliter agens, & abundantiæ noxiæ considens, pro objecto & causa materiali habeat plethoram, quæ consistentiæ, & qualitatis impuræ vitium adfert, & ne hoc succedat nullo alio auxilio uti valet, quam abundantiam aut motu febrili consumere, aut motu exundatorio deplere: tum natura exequitur hanc ultimam intentionem motus tonici intensione in oppositis partibus, & ejus relaxatione in locis excretoriis. In hoc vero negotio, qui vitalis necessitatis summæ existit, natura non semper justam mensuram motus & materiæ tenere valet, sed aberrat in loco, impetu, tempore, imo gradu activitatis intensiore ac largiore, quam objectum ac scopus requirit. Nonne enim in cholericis maxime, agilioribus, junioribus, largiores exundantiæ fiunt, quam necessitas depletionis exigit? Cohibitiones crudæ adstrictoriæ plus damni adferunt, quam excessus in effluxu minabatur, quod

præ-

præcipue hæmorrhagiæ ſenſibiliores pulmonum; renum, ventriculi, uteri, ani &c. edocent. Hic vero ſummi ponderis negotium incumbit miniſterio medico, naturæ actum, vel, ſi purum mechanismum hic agnoſcamus, totum affluxum ita moderari, ut evacuatio ſuperfluiditatis fiat in juſta, nec in defectum nec exceſſum deſcendente, menſura. Exitum occludere communis moris eſt eorum, qui omnem hæmorrhagiam ſolum pro paſſiva exæreſi & effluxu judicant. Male vero cum cedat intentio & actio, oppreſſio ſcilicet adſtrictoria, quod indubia experientia comprobat, aliam ingrediendam eſſe viam, pathologiæ aſſumptæ adverſam merito judicant. Inde ſedativum in indicatione ac indicato certius exit, ſi, plethoram aliqua ventilatione tollendo, naturæ intentio præoccupetur ac facilitetur. Accedit adhuc ſecurior methodus præveniendi ferociam, ſi plethora & orgasmus, diæta ac medicina, imo moralitate, temperante avertatur. Quod ſi hoc ſcopo miniſterium medicum ſit poſitum; tum privative omnia orgaſtica in materia & motu ſubtrahendo, tum poſitive diætam, vitam, medicinam moderate refrigentem introducendo: tum certe vel natura ipſa autocrator in ſua anxia nimietate moderamen per ſe induet, vel ſecurius præcipitantia æſtuans furens temperari valebit. Id ſi minus fuerit impetratum in præparatione materiæ ac motus acrioris corporali; tum certe materialia, & idealia ſedantia magis efficacia, adſtringentia & ſpecifica, viam quidem occludent, impetum vero ad alia, & quidem periculoſiora loca, demandabunt; unde quidem damna tanto magis irreparabilia exeunt, quia ejusmodi impedimenta ab ordinario modo ac termino pertinaciorem ſedem occupant, imo ſtaſes corruptivas relinquunt. Plebs ipſa ſucceſſum talem firma experientia edocet, quod exceſſus hæmorrhagiarum pectoris, ventriculi, uteri, hæmorrhoidum longe eundem effectum perimentem, ſicut per terrentem non edat, quam defectus aut ſuppreſſio. Quæ obſervatio vere experimentalis conſtans meretur in conſiderationem therapeuticam duci contra impetus ſedativos, ex impetu mechanico paſſivi fluxus, & ex æreſeos ſubnatos.

F a.) Hoc

a.) Hoc fundamentum sedationis hæmorrhagicæ, ut in specialibus exemplis demonstretur; notum est hæmorrhagiam narium & ani esse inter alias ex loci, subjecti, causæ, eventus, natura tolerabilissimam, securitate ac utilitate, imo & necessitate. Experientia docet in utroque genere effluxus impetum sæpe tantum fieri ratione quantitatis & furoris, ut mortem ante fores stare ac pulsare omnes ejulentur, at paucis horis ac diebus per se æstus quiescit, & defectus eum viribus brevi tempore ex diæta gelatinosa, mucilaginosa, emulsiva sub quiete corporis & animi restituuntur. At intempestivæ, imo sæpe cum multa circumspectione usurpatæ, suppressiones, quot quantasque turbas sæpe numero relinquunt, ut satis difficili consilio & auxilio corrigi, damna deleri, & pristinus æqualitatis status restitui valeat. Nonne ex simplicis narium hæmorrhagiæ suppressione sæpe regurgitationes ad pectus hæmoptyicæ, ac phthisicæ subnascuntur? Nonne hæmorrhoidum vel martialis aperitiva, uti putatur, tractatio infarctus viscerum abdominalium hydropicas, ictericas, hecticas &c. produxit? Quamobrem si in utroque casu fervor naturæ errantis excedere judicetur: tum tamen, maxime ante adstrictoriam sedationem, temperatio in genere commendata advocanda est, priusquam cohibitioni mens manusque studeat. Tum temporis specifica, sic dicta, ideali solum aliqua impressione motus errorem tutius sopiunt. Sic v. g. in genere persicaria sub forma amuleti, senescente impetu hæmorrhagias has, uti & alias suspendere observatur: Radix nigellæ in hæmorrhagia narium sub lingua detenta, succus millefolii, uti & aliæ ejus herbæ formulæ, narium, ventriculi, ani fluxus sanguineos sistere jam dudum à RIVERIO, STAHLIO aliisque firma experientia sunt solidè commendatæ, cum cautela, ne præmaturus usus damnum relinquat. Et sic de aliis specificis judicandum.

b.) In hæmoptysi impetus sanguinis ferocior ac pertinacior existit, cum magis subjecta juniora, orgastica, cholerica invadit, & talia quidem, quæ habitum ejusmodi motuum hæreditarium in se gerunt. Multa exempla obveniunt, in quibus exundantia largior & repetita procedit, maxime in fœminino sexu, longe minus eo damno, quam quod infe-

insequitur suppressiones adstrictorias, quas presso pede phthisica mala irreparabilia insequantur. Generalis dicta temperatio, etiam in anxiis actus hujus circumstantiis, magis locum habet. Quamobrem si sedationem necessariam judicemus, sedulo tamen abstineamus à tinct. antiphth. gramm. & similibus adstringentibus remediis. Oberramus securius temperantibus nitrosis, gelatinosis, emulsivis, imo traumaticis blandioribus pectoralibus ex chæref. urtic. bell. nummul. aur. mur. virg. aur. &c.

c.) Sic etiam in mictu cruento securum sedativum invenire rarum est, & rarius, id suo tempore adplicare. Nitrosa certe palmam aliis præripiunt. Traumatica modo dicta, diætæ temperanti pro condimento inserta, locum & usum habent. Hæmorrhoidum, mensium, ventilationum sanguinis artificialium revocatio ac in ordinem reductio viam naturæ monstrant. Uti turbæ diæteticæ, morales, medicæ facile hanc exundantiam exacerbant, ita tum sub his, tum extra eas, etiam suppressiones artificiales congestiones in stases ulcerosas hecticas præcipitant, ad minimum nephritidem calculosam relinquunt indelibilem.

d) Hæmorrhagia uterina pariter documento fundamento atque experimento esse possunt ac debent aliis magis extraordinariis exundantiis, quod & quando hæ in largiore excessu tolerabiliores evadant, tam quoad secutura mala, quam quoad concomitantia symptomata præ earundem defectu. Inde conclusio practica formari poterit ex ratione & experientia, quod sedatio cujusque consequentiæ, fiat. Nonne enim menses largiores in ordinario statu minorem debilitatem sæpe adferunt, quam deficientes? Ipsæ hæmorrhagiæ impetuosæ ac iteratæ paucis diebus debilitates necessario insecutas deperdunt, imo denuo exitus idem revertitur? Hæmorrhagiæ abortivæ, molares tanto furore atque excessu sæpe, imo repetito insultu prorumpunt, ut animam simul ejici quis censere valeat. At abortu, mola exeunte subsistit uno veluti ictu exundantia cum tota motuum spasticorum systemate. Quinimo si tardius hæc excretio succedat alieni objecti, ob quod motuum spasticorum directio cum sanguinis excretione con-

tingit, necesse sæpe est, ut magis stimulo placido expulsio promoveatur, quam ut impetus hæmorrhagicus sistatur. Si enim cohibitio fiat violentior per artem, tum pro parca intermissione conamen naturæ excretorium eo vehementius revertitur. Quamobrem temperatio hic solum locum habet, & analeptica refocillatio, ut natura iteratum insultum, qui ob tenaciorem adhæsionem necessarius est, perferre valeat, imo interpositio uterinæ blandæ expurgationis, pro sedativo vero scopo ultra gemmatam roborationem ascendere non licet. Sic certe in lochiorum nimietate eadem consideratio adduci debet. Adstrictio, quævis etiam adhibeatur, incertioris usus, imo certioris damni est, quam fluxus libertas. Tonsores & obstetrices ab experientia edocti sunt, magis laxantia, quietem, ligaturas, temperantia admittere quam adstringentia. Si non immediate stases inflammatorias post se trahant tales medicationes, tamen varias turbas, & quidem satis fixas abdominales insequi certum est.

e.) Ultimo loco in serie hæmorrhagiarum earumque tractatione, per sedativum mentionem addere opus est de hæmorrhagia vulnerum, in qua purus passivus effluxus judicatur directa sopitione sedandus. At experientia docet quantum vulnera sub æstu vinoso, iracundo, venereo &c. inflicta motus orgastici fervorem in se gerant, ut, effluxu maturius sopito, necesse sit, V. S. pro febre vulneraria avertenda adornare, imo anniversarii motus contingunt ab ejusmodi læsionibus, ventilatione iterata mitescendi. Quæ hic sedatio positiva celebratur salutariter, cum magis æstuanti actui portam aperire necessum sit?

f.) Id quod in artificialibus sanguinis missionibus vulgaris experientia commonstrat, dum revertente periodo stata talium evacuationum ea motuum vitalium turba suboritur, veluti gravis morbus immineat, nec temperari valet, nisi aperto exitu, imo natura ipsa congerit ad locum excretionis sanguinem, ut inde spastico-rheumaticæ tensiones infestent, imo vena secari solita ad rupturam intumescant. Peculiare phænomenon his diebus ex scarificatione iteranda

expe-

experiri licuit, dum pedes aquæ calidæ immittuntur, vulnuſcula ante 2. menſes facta ſine inciſione reſerantur: & cruorem fundant.

II. Longior fui in conſideratione therapeutica ſedativi ad actum hæmorrhagicum, ut tanto evidentius pateſcat, ſi hæc indicatio & indicatum in eo morbi genere tantam circumſpectionem depoſcat, quod vere periculoſum, ac veluti ſymptoma urgens, imo ſæpe ſi mitius exprimatur, ut criſis erronea præcipitans in multis exemplis conſiderari debet; tum ſane in aliis motuum conjunctorum ſpeciebus, quæ ſaltim moleſtiam ſecum ferant, vel difficultatem luctæ, tanto magis ſedationum cautelæ in medium vocare debent.

Motuum tonicorum exacerbationes ſunt dolores, qui motus congeſtorios, hæmorrhagicos niſus inſequuntur. Humores enim tum ſanguinei tum ſeroſi, ſi pro excretione ad locum congruum depelli debent; fieri id aliter nequit, quam toni conſtrictione in oppoſita parte, & relaxatione in vicinia exitus. Cum vero perruptio ad excretionem non illico fiat: contingit congeſtio expanſiva, ſpaſtica conſtrictio, inde gravativi lancinnantes, vellicantes, ardentes, dolorum ſenſationes ſubnaſcuntur. Et quidem in iis locis, in quibus excretiones per ætatem fieri ſolent. Unde in juniore ætate magis dolorificæ paſſiones in capite, in media in pectore, conſiſtente in abdominalibus regionibus eveniunt. Paſſiones ejusmodi moleſtæ, quæ neceſſario promotionem ac excuſſionem humorum inſequi debent, ut cauſæ ſublatione, finis expeditione, medii adjutione, impedimentorum ſublatione, fundamentaliter tolluntur ac curantur, hic ordo eſt naturæ hæc *ἀκρίβεια* miniſterii medici, hic nervus artis ac methodi, imo medicamenti. Sed turba medica ruit in pathematis accidentalis ac neceſſarii actus autocratici oblinitionem ac obtuſionem, ut inde radix morbi firmior evadat. Nomen quidem exit curæ palliativæ, ſed omen periculoſius evadit damnoſius, & medicina morbo gravior. Si enim vel ex ſolius opii, tanquam ſedativi dolorum principalis ſacraque anchora, quærelarum medicarum atque ægrarum detrimentis ac impoſturis molem ac virtutem hujus conſilii æqua lance ponderare velimus; tum certo non ſolum

æquus rerum æstimator, sed tenacissimus fautor, stateram dubiam tenebit. Quot enim vel simplicium dolorum capitis, intestinorum, artuum, calculi, uteri &c. exempla quotidiana praxis offert, in quibus clarissimo documento & experimento tristia fata ac facta confirmantur, opiatorum usu sensum saltim paucis momentis stupefactiva narcosi esse oblinitum, nec simul vel materiam, vel motum morbidum correctum ac sublatum? Et damnum tolerabilius foret, si tales medicationes materiam ac motum intactum relinquerent, & non potius in fixiorem ac tenaciorem inhæsionem deducerent, ut morbi irregulares nullo alio modo ac pharmaco in ordinarium statum deducendi, remanerent. Legatur saltim STAHLIANA disput. de impostura opii, & attendatur ad experimenta trepidantis ac temeræ experientiæ, Ægri undique in ejusmodi attentionem sunt deducti, ut in dolorum etiam summa ferocia anodynorum theriacalium consolationes reformident. Imo vel mitiora anodyna actum ac sensum sopientia, in dolorum caterva suspectæ notæ evaserunt, ut ægri sub tali æstu ex generali formidine lubentius continentia quieta, & anxia patientia paroxysmorum furores decurrere patiantur quam tentamina soporifera experiri. Eamus ad subjecta fœminina, sensibilia, cæphalalgiis sæpius obnoxia. Edocent ipsa, quod anodyna interna, & externa stupefacientia, refrigerantia, inspissantia sæpius internas inflammationes, febres, phreneses, metastases ad oculos, aures, imo ad pectus, abdomen &c. periculosas produxerint. Edocent contra, quod tolerabilius periodus decurrat, si uno vel altero die, imo solum hora, quieta continentia, calido potu, leni temperatione, laxatione, diapnoe discussio spontanea expectetur, atque expediatur. Colici & hysterici similia testimonia in utrumque latus adferent. Calor, quies, clyster, temperans multos paroxysmos lente & placide sistunt. Opiata brevem stuporem, maturum spasmorum reditum, malum colicum ac hystericum in consuetudinalem, pertinaciorem cursum, imo in pejores consequentias traductum malum relinquunt. Spasmi arthritici, quieto calore fotus ac potus pro tempore despumationis ac discussionis spasticæ tolerati, stato ordine

trans-

transeunt, maſſam humorum depurant, interiora obfirmant, viresque omnes vitales, animales, rationales mox in priorem ſtatum reducunt ac conſervant. At opiata ſimiliaque ſtupefacientia interna; nec non externa etiam leniora camphorata, ſaponacea vulgaria & chymica, volatilia, ſulphurata, emplaſtica &c. Stupores artuum, ariduras partium, metaſtaſes ad interiora producunt, & quidem cum elegante nomine ac omine arthritidis internæ ac externæ fixæ, i. e. talis morbi complicati ſtatus, qui nullo medicamine ac methodo in regularem & ſanabilem ſitum reſtitui valeat. Cum vero hæc experimenta non amplius fallacia ac incerta cenſeantur, ſollicitudo medica ægris ac medicis impatientibus ſecurius conſilium ſuppeditare laboravit per lactis uſum, ſed certe ad ſcopum præfixum nondum pervenire valuit, unde commendatores tot cautelis ſibi ſuisque conſulere ſtudent, totque monitis novis errores lacteæ medicinæ obtegere laborant. Noti ſunt illuſtres Medici ac ægri, qui podagrica, calculoſa hæmorrhoidalia incommoda incommodis curis diætæ ac medicinæ lacteæ oblinire conabantur, & pro ſolamine brevi in mala non dolorifica, ſed mortifera, ſanitatem ac vitam tradiderunt. Plena ſunt ejusmodi monitorum teſtimonia dogmaticorum & obſervatorum in ſtudio clinico. Plena pleniſſimorum exemplorum eſt experientia quotidiana, ut aliorum ætatum teſtimonia revocare ſuperfluum ſit. Plena eſt plebejorum domeſtica medicina, quæ ejusmodi arcana ſolida experientia rejicere didicit. Sed ne & in hoc capite, motuum ſpaſticorum dolorificorum exceſſu, ſedativis curando, pariter, ut in priore limites transgrediar licet nil ſatis dicatur, quod ſatis dici ac repeti nequeat; adferam & hic in motu & actu dolorum ordinem ſedationum, qui certiſſime ordine naturæ & methodo ei ſubordinata abſolvitur. 1. Nimirum materia tollenda eſt, ſeu objectum ob & ad quod actus dirigitur & ob quod exceſſus contingit. Quæ cum ſanguinem ut plurimum ſit, præſervativa ventilatio ſtatariæ paroxysmi inſultum in anteceſſum vel occupat, vel adventum reddit mitiorem. 2. Omnes excretiones alvinæ, diureticæ, diapnoicæ expediantur in lenem ſucceſſum, ut ita impuritatum ſeceſſio fiat. Inde colici,

ce-

cephalalgici &c. dolores clysterium, laxantium usu per se mitescunt. Nec non calculosi, hysterici, podagrici fremitus sola biliosæ saburræ sublatione temperantur, dum ita hæ excretiones reliquam materiam ac motum spastici & dolorifici actus corrigunt. Diapnoe blanda, quieta, stata, cum naturæ vergentia facilitata, quam remissionem in omni dolorum ac spasmorum genere post se trahat, experientia edocet: Ut ita inde pateat damnum opiatorum aliorumque sedantium, quippe quibus excretionum libertas, tanquam actus vitalis sec. & præter naturam indispensabilis necessitas, suffl.minatur. 3. Materia & motus acris orgastica secure invertitur ac obtunditur, præcipitantibus ostraceis vegetabili acido semi saturatis, maxime vero nitrosis, quibus antispasmodica lumbricalia, cinnabarina pro securitate admisceri valent. 4. Externa omnia præter simplicem sotum calidum abesse possunt, ita ut sæpe camphorata in principio motuum turbas regurgitatorias, imo inspissationes exsuccatorias stagnationum post se trahere valeant. Privativa diætæ, morum, therapiæ, æstuantium remotio certiore motus humorum spasmodici medelam promittit, certiusque adferet, quam positiva turbarum vitalium panaceæ, sive ex communi, sive ex sublimiore culina adducantur. 6. Quæ vero post, & sub tali naturæ ordine ac ductu specificæ potentiæ ad specificos actus ac errores naturæ experientia firma producit, ac commendat; ea tali ordine observato secure tum subsidii complimentum adferre valent. Sic v. g. de millefolio jam dictum, quod in turbis, circa venam portæ sit sedativum certum, unde in motibus hystericis, colicis, cardialgicis utiliter quavis formula adhiberi potest. Radix rhodii externe in doloribus capitis, maxime acutis, temperans tale existit. Nux vomica in phreniticis deliriis cephalalgiis, imo similibus motibus ab incantatione & philtro moderamen adfert. Lisimachia in congestionibus anginosis amuletum est: Uti verbena pariter amuleti loco inservit in doloribus capitis periodicis. Lignum fulmine tactum in nævis maternis recentioribus, in odontalgia idiopathica sedativum est. Veronica in clysteribus adhibita motus calculi & hystericos tali specifica impressione moderatur. Rad. scroph. fabar. h. linar. in dolo-

doloribus hæmorrhoidalibus, velut amuleta, vel ut discutientia specialia, in unguentis sedativa sunt. Nota sunt in turbis vitalibus spasticis à fascino remedia, maxime decoct. ex sider. hyper. artemis. conyz. fl. purp. ruta, polytr. aur. visco til. &c. Plebs ipsa laudat in epilept. turbis specifice sedantia, r. pœon. & commendat collectionem, ariete solis motum recipiente ante novilunium collecta; Item visc. quern. &c. De motibus nimiis excretoriis, utpote salutariter opinentur; tamen sedationem specificam admittentibus, nota est v. g. in motibus tussiculosis ex tr. tabac. forti excoctione cum aqua paratum, ut narcotica virulentia sit prius dispulsa. In tussi phthisicæ excretionis pulv. sympath. puri immissus. Lapathum cruentum in excretione dysenterica non tam generali tonico, quam simili speciali sedationis halitu, operatur. Herniaria, virg. aur. &c. in motibus excretorio-spasticis calculi generalem traumaticam facultatem possident, at intimiorem mitigationis energiam adportant. Gummatosa, dulcia pectoralia glycyrrh. &c. generali quidem acrimoniæ seroso-urinoso-calculosæ mitigatione valent, & plus præstant, quam alia ejusdem qualitatis manifestæ. Qui materias medicas de hoc genere colligere velit, inveniet numeros innumeros. Debent vero cum grano salis, etiam in firmioribus observationibus attendi. Hic vero solum locus ac tempus indicationis & indicati τȣ Sedativi annotari debuit.

CAPUT III.

De Cautelis practicis generalibus circa Sedativa Archei.

QUæ hactenus quoad fundamenta, documenta & experimenta de Sedativo Archei prolata sunt, ut indicationem & indicatum appropriatum in hac therapiæ classe reperiamus, sunt quasi nil aliud, quam cautelæ clinicæ, quæ tum individualibus exemplis, tum probatioribus testimoniis è schola clinica roborari possunt. Cum vero ejusmodi, etiam porismatica deductio in immensam molem increscceret: æquum judicavi pro brevitatis studio ex duplici classe anomaliarum motus pulsorii & tonici quædam summariter adferre, quæ sollicitum oculum in secura vestigia adhuc magis ducere

valent. Quare pro coronide imponenda quædam axiomata generalissima superaddere placet, ut generalis thematis gravitas in ministerio clinico eo luculentius patescat.

§. 1. Summæ necessitatis ac utilitatis est, ut œconomiam morbi ex actu vitali secundum & præter naturam probe introspicere discamus, & id quidem non tam labore mentis speculativo, quam attenta observatione clinica, ut intelligamus, quid sit actio, quid passio, quæ materia, qui motus, quæ causa, morbus, symptoma, quinam eorum habitus ac dependentia mutua, quinam causarum & effectuum nexus, imo quæ efficiens, materialis, instrumentalis, finalis, formalis &c. Hæc sunt momenta non metaphysicæ contemplationis, sed dogmaticæ empiriæ. Inde pendet in ministerio magni ponderis investigatio clinica, quidnam sit in actu morbido, quod subigi, quod vero expediri, tolerari, promoveri debeat. Quando itaque v. g. de febre mechanicus vel chymicus conceptus menti insidet, totam hanc alterationem esse puram passivam, effervescentiam, fermentationem, circuli irregularitatem; tum applicatio medica immediate subsequitur, confusiones tales quovis auxilio debere supprimi. Cumque experientia his consiliis repugnat, subnascitur refugium aliud illi, qui ratiocinationum & hypothesium coloramenta negligere non audet, praxin cum theoria in omnibus nec convenire, nec experimenta qualitate illa manifesta incedere. Quod si vero veritas illa firmo stat talo, febrem esse evidentem speciem ac specimen actus naturæ autocraticæ, quo impuritas deleteria motus vitalis intensione necessaria expelli debeat: tum per se in apricum sistetur, frigus, æstum, debilitatem virium, appetitus, similiaque symptomata esse necessaria incommoda, passiones, consectaria scopum fundamentalem comitantia, quæve ministerio Medico non opprimi, sed in justo tramite gubernari debent.

§. 2. Posito hoc generali fundamento ministerium medicum in regimine actus vitalis præternaturalis securam viam semper ingreditur, si operam non dirigat ad motus alterationem vel intensoriam vel suspensoriam, sed ad materiæ præparationem & excretionem. Profecto

fecto etiam in turbidis naturarum dispositionibus innatis actus vitalis constantius æquilibrium ac firmiorem ordinem observare licet, quam in actibus rationalibus sensualibus externis. Proinde in annomaliis pulsus & toni præstat, materiam acrem orgasticam impuram obtundere, & sub tali præparatione actus proportionem justam expectare, quam si ad motus nimii immediatam curam nos accingamus. Nonne præstat in febribus, hæmorrhagiis, doloribus, spasmis materiam orgasticam præcipitantibus nitrosis corrigere, quam si ad æstus, exundantiæ, constrictionis, refrigerantem, adstringentem, sopientem suppressionem deveniamus?

§. 3. Quod si motuum vehementior status ac gradus ministerio Medico moderationem injungat, tum utile in hoc sedationis consilio erit generaliter & primo, si temperatio per gradus intendatur, ut à faciliore ad difficiliorem, à leniore ad graviorem, à tranquilla ad operosam methodum ascendamus. Universalis fere regula hic locum inveniet, ut, quod methodo diætetica corrigi possit, illud non ad pharmaciam demandetur, & quod medicamentis subigi possit, illud chirurgia non tollatur. Sic si orgasmum sanguinis, indeque varias turbas vitales provenientes, diæta ac vita refrigerante temperare in voluntate ac potestate sit positum, sane hæc via securior, certior, & pro toto habitu œconomiæ vitalis constantior, sese aperiet, quam si placidæ etiam medicationes usurpentur. Si vero prima methodus non amplius medico & ægro arrideat; tum tamen temperatio medica systema vitale in eam alterationem non conjiciet, quam manus chirurgica qua major debilitas, consuetudo &c. introducitur.

§. 4. Hippocratica monita certe sunt constantis adhuc experientiæ, veritatis ac utilitatis, ut quo natura vergat, eo etiam ducenda sit, quo ordinem naturæ in omnibus tueamur, si quid non succedat ad hanc naturæ tramitem, non transcendendum esse ad aliud, quod sit contra naturam &c. Sic dysentericam nimietatem, imo variolosam, per emeticum motum avocare & ratio, & experimentum fallax dictitabat.

§. 5. Cum in naturæ vergentiis, etiam in ejus erroribus, non sit justum ac proficuum, ut directa oppressione obviam eatur: tum tanto magis caveri debet ne sedationis consilio, etiam legitimæ indicationis, una ordinariarum excretionum simul improvida manu turbetur, ac supprimatur. Opiata in capitis, tanquam remotioris partis, doloribus facile alvi segnitiem imo adstrictionem cum brevi placatione adportant; inde turbæ capitis facile revertuntur, & alia damna accelerantur. Tanto magis in acutioribus actibus morbidis, hæc cautela locum habet, dum ita oblinitiones symptomatis alicujus totum scopum salutaris luctæ turbare possunt.

§. 6. De gradu sedationis, & ordine successus monitum dedi, ut à diætetico ad pharmaceuticum, & ab hoc ad chirurgicum scala naturali ascendamus. In pharmaceutico fonte sedationis gradum quoque tenere convenit, ut temperationem vehementiæ prius intendamus, priusquam ad antispasmodico-anodynam sopitionem progrediamur, & hanc prius apprehendamus, quam ad adstrictorias cohibitiones properemus. Ita enim reliquus actus, qui fermenta morbida penitus expellere lento ac longinquo gressu nititur, non opprimitur.

§. 7. Quantumcunque vero dextre sedationis consilium administrasse nobis videmur: tamen correctio hujus auxilii statim con-& subjungendum existit. Si cohibitiones febriles, hæmorrhagicæ, dolorificæ &c. utiliter aperientibus, temperantibus moderantur, quod vel tonsores in cura febrium chinata probe observare docent.

§. 8. Ad utile ac necessarium hoc in praxi clinica objectum ac thema quasi, de correctoria medicina pharmacorum in negotio sedationum & sedativorum cum primis respiciendum & vera ejus cultura inquirenda est. Sunt enim præcipue in hoc fonte pharmaceutico sedativa, uti & alia, quæ summæ efficaciæ existunt, & energiam ex una parte salutarem, ex altera minus, reliquunt. Unde peritia adhibitionis à fronte & tergo requiritur.

§. 9. Corrigentia sedativorum sunt talia, quæ oppositam quasi qualitatem introducunt, Contraria enim contrariis curantur, tritum

tum suadet proverbium. Sic enim quæ actum naturæ errantem atque excessivum supprimere debent, ne ordinarium ac utilem simul turbent, obicem inveniunt. Id quod exemplis magis declarari valet. Nitrum inter omnia sedativa universalis certe ac securi temperantis in motu ac materia exæstuantis, pharmaci titulum optimo jure possidet. At non solum in repetito usu, sed etiam in parciore adhibitione, maxime in tenerioribus, sensum refrigerii ita stomacho imprimit, ac si glacies foret deglutita, sed etiam in sanguine ipso coagulativa vis inspissationem lymphæ relinquit. Quare necessaria est combinatio digestivi, incidentis, absorbentis per tartarum vitr. arc. dupl. pulv. conch. lap. cancr. &c. Imo usus vespertinus & post cœnam, vel post jusculum aliquod, tolerabilior est ac matutinus. Chinata adstringendo ob siccitatem terream sedativam vim exerunt in motibus febrilibus aliisque periodicis affectibus. Corrigitur hæc constrictoria virtus, ne viscera & utiles excretiones supprimat, commixtione, imo subjunctione, amarorum resolventium, digestivorum, laxantium. Quamobrem & ipsi agyrtæ ac tonsores febrium suppressioni chinatæ laxantia subjungere solent. Imo si suppressam febrem incommoda obstructoria acuta & chronica hectica & cachectica insequantur, tum matura aperientia, amara, gummi resinæ subordinantur. Sic jucundo ac utili experimento sæpe vidi, talia peregrina suppressionis symptomata usu pil. balsam. & ita restituta febre esse curata. Opiata stupefactivam efficaciam, quæ ordinarias secretiones etiam turbare solet, si non exuunt, tamen mitius exerunt, quando, si vel purgantibus, vel alexipharmacis commaritentur; Unde compositiones theriacarum, laudanorum, pil. Wildeg. Starck. &c. prodiere ad ejusmodi normam sedationum correctiones aliæ dimetiuntur.

§. 10. Quod si vero in ambiguo sit, num methodo vel pharmaco sedationem motus nimii exequi debeam, imo si utraque via mihi certa, secura ac utilis videatur: tum tamen securius sedationem per methodum, quam per pharmacum, præferre possum. Sic si

in febre intermittenti materia est correcta & evacuata, solumque motus consuetudinalis prævaleat: tum certe, licet chinatum non sit reformidandum, tamen longe securior via est amaris, tonicis, leniter abstergentibus sub abstinentia & quiete ut insistam, quam si impatiente conamine suppressionis colophonem quæram. Methodi suppressio est naturæ emanentis, & in actu suo tempore subsistentis, expectatio. Pharmaci suppressio est dubia, conjecturalis, trepidans, temeraria finis occupatio.

§. 11. Quod si suppressio per methodum præstat præ ea, quæ fit per medicamentum, tum sane ratio & experientia dictitat, quod sedatio per medicamentum sine methodo nunquam secura ac salutaris existat, sed semper cum methodo sit usurpanda. In omni enim morbo, qui est actus naturæ directus ad materiam morbiferam expurgandam, motus non potest aut debet cessare minus vi supprimi, priusquam materia sit correcta aut sublata. Id si præstitum sit naturæ aut artis subsidio, tum motus per se subsistit, vel securius ministerium sedationis admittit. Quamobrem ordini naturæ non est repugnandum, etiamsi efficacissima nobis obtrudantur pharmaca.

§. 12. Quod si cum methodo remedia sedativa omnis generis sint applicanda: tum sane omnis naturæ ordinis in circumstantiis etiam immaterialibus observatio hic requiritur. Hæc nota in specificorum usu tantæ est necessitatis, ut neglectus talis ordinis fructum specificorum reddiderit irritum. Quamobrem temporis, loci, ordinis, modi, cautelæ probe perdiscendæ & adhibendæ sunt. Quod ut tanto clarius in iis, quæ occulta quasi qualitate operantur, patescat, do exemplum in iis, quæ manifesta facultate sunt prædita. Si quis in initio morbi, vel quovis die tempore, anodyna, adstringentia, tonica adhibere velit, experietur non eum frugalem usum, quam si sub declinatione morbi, imo ad noctem, talem medicationem in usum traxerit.

§. 13, Denique de universalibus panacealibus sedativis quot quot venalia circumferuntur, quocunque etiam sesquipedali nomine ac

omine

omine vendantur, illud monitum ab experientia communicandum est, ne facilis credulitas nos decipiat, cum tales merces pretio saltim autoris, opinionis, similisque sensualis fidei magis turgeant, quam vera radicali ac positiva virtute polleant. Quamobrem æstimatio talium magnalium pro varietate vestimentorum crescit, & decrescit, Apud ditiores fucus talis methodum ac medicinam certam comitari debet, ne in suspicionem delabamur, nos hermetica armatura esse destitutos. In decremento morbi si tandem talis essentia solaris granatorum, perlarum, corall. &c. refocillationem expectatione adportasse judicabitur: tum ignorantes quidem rapiuntur in admirationem, attenti vero judices fumi gloria haud moventur.

§. 14. De dosi sedativorum observatio atque cautela est apponenda, quæ quidem levis momenti esse videtur, at sane gravioris ponderis considerationem fovere ratio & experientia demonstrabit. Cum enim remedia in materiam agentia proportionem habere debent ad quantitatem ejusdem; Hæc vero ut plurimum turgeat, i. e. in œconomia vitali non parca, sed ut plurimum larga sit: Largior itaque usus corrigentium requiritur ad nimium proportionatus ad materiæ quantitatem. At sedativa non in materia, sed in motum operantur, ubi leniore ac parciore stimulo motus alteratur. Quod si vero excedat quantitas sedativi, tum certe cum actu morbido & totus actus salutaris secundum & præter naturam turbatur, imo summum periculum accersitur. Rem exemplo declaro. In febribus intermittentibus materia mucosa in primis viis corrigenda requirit digestivorum sufficientem quantitatem, motus vero alteratio pauca dosi absolvitur. Si proportio invertatur, tum digestivorum parcitas muci copiam non resolvet, & tonicorum abundantia non solum motum morbidum, sed actum se- & excretorium, supprimet. Sensus communis hanc monstrat viam, at prudens patientia respuit. Nonne absonum est, imo summe damnosum, si chinata per uncias præscribantur, & salia digestiva, ess. amaræ paucis granis ac guttulis propinentur. Huic fundamento innititur cautela

de

de anodynis, imo martialibus, adstringentibus &c. quæ refracta & rara dosi adhibere observatores suadent. Sic hæc circumspectio de dosi sedativorum in genere à nemine æqui judicii superflua censebitur.

§. 15. Ultimo loco in serie cautelarum meretur notari circa sedationis processum ille ordo, & cardo, illa norma & forma, illius indicationis, & indicati circa hoc therapiæ generalis fundamentum & documentum, scilicet quid statuendum sit de sedatione archei, per ejusdem defatigationem, enervationem depletoriam repentinam, per largas sanguinis missiones, per oppositas plane medicationes, à scopo naturæ, ut ita furor naturæ, nimietas & error supprimatur, & ad opus ordinarium deducatur? Est certe hæc methodus ex hypothesibus chymicis, physicis, mechanicis in vitalitatis turbatæ statum componendum ita introducta, ut pro adæquata norma judicetur ad morbidos actus sopiendos. Quamobrem de paucis hujus ordinis speciebus verbum addere, monitum vero vel consilium libero cujusvis arbitrio relinquere, ex æquo esse ducimus. Prima species hujus diætæ classis ac generis enervatoriæ sadationis sit & est per missiones sanguinis largas & repetitas, quam methodum Germani ab Anglis, Gallis &c. discunt & assuescunt, imo in fundamentalem indicationem trahunt, ac si in climatibus frigidioribus magis necessaria ac utilis imo secura sit, quam in calidioribus. De his enim constitutionibus climatum ac subjectorum, imo Medicorum nota est therapia generalis & specialis, quæ in morbis acutis & chronicis sanguineis illico ad hanc anchoram deducere ac confugere solet. De primo ordine hactenus dubitatum est, quoad securitatem non minus, quam quoad necessitatem ac utilitatem, ut inde peregrinantes Germani Gallorum medicinæ sese ægre subjecerint. Sed certe experimenta succedentia tot numerantur ex fiducia medentium, ac consulentium, quot cumulantur ex latere diffidentium. Illæ observationes meam imitationem suspendunt, 1.) quod sicut macro- ita microcosmus optime ac constantissime motuum vitalium autocraticorum æquilibrio sartus, tectusque conservatur, adeoque

vio-

violentæ chirurgicæ evacuationes extra sphæram ordinariam excretionum decurrant. 2.) Quod si itaque natura ordinarios motus sanguinis progressivos ac tonicos intendit, & ad scopum depuratorium dirigit, tum, licet evacuatio sincera sanguinis sit suscepta, ab hoc suscepto opere ac methodo non avocatur, sed turbatur, imo ad erroneos actus invitatur, ut ita, prout Sydenhamius ipse acerbus missionum sanguinearum cultor ac defensor observavit, despumatio deficiat, ac cardiacis iterum suscitari oporteat. 3.) Quemadmodum vero missiones sanguinis præservativo scopo ac tempore adhibitæ morbos sanguineos nonnunquam præoccupant: ita curativa methodo, in ipso morborum sanguineorum insultu, usurpatæ, nec actum sufflaminant, nec mitiorem exitum adportant, etiamsi nullius damni esse deprehendantur, sed naturam sensilem reddunt ac relinquunt, ut facili occasione, & irritatione in pristinas turbas relabatur; quæ turbæ alia & ordinaria pharmaciæ methodo non facile possunt corrigi, sed requirunt iteratam ventilationem, & adferunt præmaturam consuetudinem actuum, & medicinarum ejusmodi morbidarum, imo sæpe senilis maturatæ atoniæ &c. Locupletissima farrago hujusmodi exemplorum suppeditari valeret, & opponi ventilationum nimiarum patrocinio, si quis medicinam aulicam, in tenerioribus maxime subjectis attento oculo scrutari suscipiet; ad minimum individua probe discernenda deprehendet, ut hujus methodi veram adhibitionem ac discretionem addiscere reperiamus. Quamobrem uti in maniacis, arthriticis, hæmorrhagicis non tam motibus quam furoribus individualibus ejusmodi depletoria ac enervatoria sopitio ac sedatio locum habet: ita universalem hanc monstrare, ac tenere viam in aliis affectibus congruam, nec fundamenta nec experimenta hactenus docuere.

Alia est species methodi hujusmodi heroicæ sedare turbas vitalitatis morbidæ per oppositas enervatorias energias. Chymiatri maxime hanc viam seligunt, amant, monstrant, dum per emetica, purgantia, sudorifera fortiora, salivantia &c. languidas morbi luctas ita adgrediuntur, ut natura ab ordinaria semita deflectat, imo len-

H toris

toris morbidi obliviſcatur. Nonne huc pertinent multæ medicationes chymiæ crudioris, dum febres ſimilesque chronicos affectus emeticis vel purgantibus antimonialibus, mercurialibus, imo arſenicalibus, debellare ſuſtinent? quando in uno vel altero ſubjecto robuſtiore aliquo tolerabili fructu potiuntur, tum in miras gloriarum exclamationes devolvuntur. In ſenſibiliores vero ac teneriores cum incidunt: tum ſane non audent ſtrages tales recordari. Sic mercurialia etiam & ſalivantia ſæpe numero non ſolum coagula fixa lymphæ, & varias corruptiones ſeri, ſubegiſſe obſervata ſunt, ſed etiam motuum anomalias pertinaces iterum diſturbaſſe ac ita nimietates actuum ſopiiſſe deprehenſa. Quis vero hæc experimenta fortuita ac ſpecialia pro norma generali in methodo medendi exſtruere audebit?

Suffecerit vero hanc viam per ſedativum errorem indicaſſe, ejusque uſum vel fugam attento obſervatori commendaſſe. Suffecerit quoque hæc pauca per titulos ſolum de hoc objecto medicinæ practicæ attuliſſe. Cultura ſagaci manui mentique relinquitur.

Num vana vacuaque ſint adducta monita, experientia ſolers docebit.

